



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opera Varia**

**Noris, Enrico**

**Lugduni, 1707**

Anonymi scrupuli circa veteres Semipelagianorum sectatores evulsi, &  
eradicati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72494)

# DISSERTATIO III.

## ANONYMI SCRUPULI

*Circà veteres Semipelagianorum Sectatores evulsi ac eradicati.*



Lteram scrupulorum partem discufuro, veniã mihi opus est, quam haud sanè rogarem, nisi Anonymus novis iterum suspitionibus non tam Norisii volumen onerare, quàm ejusdem Censorum judicium pulsare aggressus, id adeò tenui & exili apparatu tentasset, ut verear, ne mihi vitio vertatur, qui bonas horas tam levi operi refutando, perdiderim. Equidèm scio, me actum agere, cum jam hac ipsã in causã plures doctrinã ac eruditione percelebres tam luculenter ac disertè Norisio similiter pronuntiaverint, ut id si solum ignorare possint, qui sua secum phantasmata agitant, alienorum scriptorum penitus incuriosi, se ac sua tantum fideri norunt. In hac autem defensione adornandã, quod tota in factò quæstio versatur, testimoniis potius quàm argumentis insistam; nisi ubi ab Anonymo objecta, solvenda venient. In priori scrupulorum parte Norisius incusabatur, quod Monachos Scythas in utroque Orbe hæreseos damnatos, asseruisset Catholicos, imò & Orthodoxi dogmatis contrã Eutychianos vindices ac defensores. In hac autem oppositum eidem crimen impingitur, videlicet, quod plures Gallie Episcopos, ac insignes Patres, & hos inter Vincentium Lirinensem Semipelagianis addixit. Hæc novorum scrupulorum radix mihi levi brachio evellenda.

### A N O N Y M U S.

**S** Cimus novos Censores designatos esse, ac sententiam continuò dixisse, quã dudum accusatus is liber, ne apice quidem sublato, approbatur, imò summis laudibus extollitur. Et putas Danielelem esse te, qui dicere possis: *Revertimini ad judicium?* In præfatione.

### R E S P O N S I O.

**Q**uid in examine ejus libri actum sit, qualis prolata censura, aut quale denique judicium pronuntiarum fuerit, nescio. Omnia hæc in supremo Orthodoxæ fidei tribunali, sanctiori, quàm Eleusina olim mysteria, secreto peraguntur; nullæ ibi fatiscunt rimæ, ex quibus summæ, uti dicis, delatæ libro laudes ad tuas usque aures defluerint. Equidèm librum objectis erroribus immunem judicatum, inde statim apparuit, quod S. D. N. INNOCENTIUS XII. motu proprio, Auctorem libri in maximum Romanæ & universalis Inquisitionis Consultorum Collegium cooptavit. Quid autem Norisio honorifice ferri potuit, quàm in Censorum, ad quos scribis, ordinem adlegi, ac affidere iudicibus, quibus coram in libro reus nuper adlitterat; & cum accusatores tentarent librum proseribi, Auctorem in eorum, qui de libris judicant, numerum ad Summo Pontifice adscribi? At enim Censores ad instaurandum de eodem libro judicium provocas. Tertentius in Phormione Act. II. sc. 3. ait:

*At tu, qui sapiens es, magistratus adi,  
Judicium de eadem causã iterum ut reddant tibi:  
Quandoquidèm solus clamas, & soli licet,  
Hic de eadem causã bis judicium adipiscier.*

Sed cur in causã adeo seriã Comici poetæ verbis ludam? S. Augustini summi Ecclesiæ Doctoris brevissimam unaque gravissimam sententiam inaudias: *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem?* Lib. 2. oper. imperf. contrã Julianum num. 103.

### §. I.

*Quid de Vincentio Lirinensi, deque ejus Commonitorio adversus hæreses senserit Ecclesia?*

**A** Nonymus laudat Commonitorium S. Vincentii Lirinensis adversus profanas hæresum novitates. Scribit Auctorem in Romano Martyrologio inter Divos recitari. Producit elogia eidem delata. Hæc omnia etiam Norisius laudaverat, densatis insignium Scriptorum elogiis, quibus idem Commonitorium jure ac merito decorarunt. Itaque in priori paragrapho nullus est Anonymo scrupulus evellendus.

### §. II.

*Quid de Vincentio ejusque libro sentiat Norisius?*

### A N O N Y M U S.

**V**trum illum doctrinã & sanctitate adeò celebrem non modò Semipelagianis accenset Norisius, sed quod gravius est, ipsum ejus Commonitorium tantã Ecclesiæ approbatione omnibus sæculis commendatum, eadem Semipelagianismi notã infamat. Pag. 7.

### R E S P O N S I O.

**N**on unus Norisius quosdam novos Semipelagianismi in tam pulchro corpore notavit. Joannes Garnerius, qui pereruditus notis Marii Mercatoris libros abs se publicatos, illustravit, Dissert. 1. de Auctoribus Pelagianæ hæresis, cap. 6. pag. 150. scribit: *Denique si qua Pelagiani erroris fuligo Lirinensibus adhaesit, ut adhaesit sanè, ea certè non ex Juliano, sed ex Cassiani societate, & multis quidèm ante annis, ut ex Commonitorio Vincentii colligitur.* Ita Scriptor, qui de Pelagianã hæresi accuratos commentarios exaravit, idemque & Gallus, & è Societate Jesu, demonstraturus contrã Hieronymum Vignerium Lirinenses nequiquam ab adveniente illuc anno Christi 440. Juliano Eclanensi erroneas de divinã gratiã opiniones admisisse, id probat ex unico Commonitorio Vincentii, in quo nonnulla Semipelagianæ conformia doctrinæ adnotaverat, quam Lirinenses ex Cassiani primùm societate conceperant.

Alter testis veniat Claudius Frassen, qui tom. 1. Academiæ Scoti tract. 2. disp. 3. art. 2. sect. 1. quæst. 1. sub titulo: *De sequacibus Pelagii*, §. 2. pag. 421. ait: *Vincentius Lirinensis videtur etiam adhaesisse, & favisse Semipelagianis, censeturque ab aliquibus Scriptor ob-*

jectionum Vincentianarum, quibus S. Prosper respondit. Quod etsi cetera taceant, hoc sufficienter evincit, quod eodem modo Caelestini Papae Epistolam, qua se Catholici tuebantur adversus Semipelagianos, in suas partes sicut & alii Semipelagiani adversus Catholicos usurpare non dubitavit. Et hic Theologus ex Ordine Minorum, Gallus & ipse, ac Doctor Sorbonicus, qui ex Commonitorio sufficienter evinci putat, Vincentium in Semipelagianorum parte fuisse.

Tertium testem appello Josephum Antelmium Canonicum Forojuliensem, virum in rebus Lirinensium versatissimum, quippe qui Diatribam de Secretis Lirinensium elucubravit. Hic Dissert. IX. de scriptis sanctorum Leonis ac Prosperi, num. 17. pag. 420. scribit de eodem Commonitorio: Quod superest opus illud aureum licet & nunquam satis pro dignitate commendandum, eo etiam sine intentum, ut Augustini doctrinam in suspicionem traheret, iam maxime penes Eruditos invaluisse penè persuadeo. Plura eo de argumento adnotat, quae opportuniori postea loco intelliges. Audin' uti rem hanc Eruditis jam confessam ac testatam fateatur, quam tu tamen in crimen trahis?

Quarto loco non unus, sed plures testes ad tribunal descendunt, eruditissimi Patres Benedictini ex insigni monasterio Parisiensi S. Germani à Pratis, qui in appendice tom. X. operum S. Augustini, pag. 132. in notis ad Epistolam S. Caelestini Papae scribunt; Hunc locum Vincentius Lirinensis sub Commonitorio finem sic à perossensu contra Prosperum & Hilarium detorqueat, ut ipse haud injurià in erroris Semipelagianii suspicionem veniat. Sunt quoque hi testes ex Gallià, & ob edita, correctà, ac illustrata Sancti Augustini volumina, in ore Literatorum summà cum laude versantur.

Quintum cito testem Ludovicum Thomassinum Dissert. XIII. in Synodos pag. 460. num. 30. Ergo, inquit, si de Hilario Arelatensium Episcopo, si de Vincentio, si de Cassiano, de Gennadio, de Sidonio Appollinari, si de Faustio acerbius quid aliquando excidit magnis Viris, id aequè bonique consulendum est, & in doctrinam, in quam incautè & per simplicitatem incurverant, non in personas refundendum. Videtne uti Vincentius cum Semipelagianae scholae Doctoribus nominetur? Et hic pariter est Scriptor Gallicanus.

Sextum ex Hispania testem arcesso magnum Salmanticensium Doctorem Basilium Poncium Legionensem, qui in priori parte Relectionum de auxiliis divinae Gratiae cap. 4. pag. 40. sub titulo: De errore Semipelagianorum &c. ait: Praecipui inter eos fuerunt Cassianus Chrysostomi discipulus &c. Vincentius Lirinensis, & Faustus Regiensis.

Septimus ex eadem Augustinianà gente succedit Christianus Lupus, regius Professor Lovaniensis, in Ecclesiasticà eruditione nulli hoc nostro saeculo secundus. Hic tom. 4. in Synodos, in notis ad canonem 22. Dictat. Gregorii VII. pag. 575. scribit: Sancti Augustini de divina gratia ac praedestinationis efficacità doctrinam Sulpicius Severus, Lirinensis Vincentius, aliique olim Gallorum Clerici ac Monachi oderant pessimè, adeoque infamabant, ut maledicendi studio semetipsos apud omnem posteritatem reddiderint famosos. Haec videri possint acerbius dicta. Verùm refero tantùm fideliter testimonia, nec probo, si quid justae offensionis causam dare videatur. Enimverò, uno dempto Poncio, ceteri ab anno 1668. ad usque annum 1690. recitatà de Vincentii Lirinensis doctrinà, testimonia pronuntiarunt. Cur ergo unus Norisius in crimen vocatur? cur uni illi constatur invidia? cur,

cum tot in eadem cum ipso navi sint, contra unum illum accusationum tempestas toties excitata, & nuper improvise tuorum scrupulorum turbine inflaurata defavit?

## ANONYMUS.

„ E Quiddem ut illum à formali haereticis crimine excuset, addit Norisius tunc Semipelagianissimi professorem fuisse, quando adhuc fas erat eà de re in utramque partem disputare. Sed eundem iterum describit hominem vasrum ac subdolum, imò hypocritam, ac sycophantam, quippe qui Commonitorium suum scripserit, specie quiddem adversus omnium temporum haereticos, reipsa ut Augustinum oppugnaret, ac tanquam haereticum traduceret; qui hoc fecerit post ipsam S. Caelestini Papae Epistolam, quae disertè vetatur, ne quis ita de Sancto Doctore loqui audeat: qui non modò hanc Epistolam pro Augustino ejusque discipulis scriptam, fraude malà in contrariam partem detorsit, verùm etiam Vincentianas objectiones contra Sanctum Doctorem, ejusque discipulos composuerit &c. Pag. 7.

## RESPONSIO.

„ J Am praedixi, me totius defensionis summam in insignium Scriptorum testimonio collocaturum. Haec ait laudato loco Lovaniensis Doctor Lupus pag. 758. Aureum illud Vincentii pro fidei Catholica antiquitate Commonitorium, ad instar canonum Antiochenorum, est mala radice non malus per omnia fructus. Ostendere conatur, non Augustini sed suorum dogmata esse avita, ideoque haec, non ista per Caelestinum fuisse comprobata. Epistolam, quod impugnari non posset, ita placuit detorqueri.

Claudius Frassen laudati libri pag. 422. recitato prolixiori testimonio S. Prosperi ex cap. 43. contra Collatorem, ait: Quibus liquet quàm diversimodè Caelestini Epistolam Vincentius & Prosper in suas partes deducere. Nam Vincentius vel latere Adversarii Augustini, ex eà Epistolà urgebant illud, quod antiquitati novitas cedere debeat; unde colligebant, si Augustinus in prioribus scriptis consentiat antiquitati, in posterioribus non item, Caelestini elogia ad priora tantum Augustini scripta pertinere. Contra Prosper ex eadem Epistolà urgebat, laudationem Augustini &c. non minus de posterioribus quàm de anterioribus scriptis intelligendam affirmabat.

Joseph Antelmus Dissert. IX. proxime appellatà pag. 421. scribit: Hoc valentissimi pugili Vincentii partibus concedere tandem necesse erat experimentum, utque hunc jam egregiè demonstrarunt laudati Viri docti, suas in fortunas accessere contendisse Caelestini contra Lirinenses ac Massilienses, pro Augustini doctrinà commendatione, elicitas à Prospero literas, ita nunc videre par est, quae exquisitè industrià jaculum aliò contorsit. Et adductis Vincentii sententiis, addit: Quaeque deinceps Auctor eo summo artificio commentari pergit, ut arcani consuetis tantò magis videatur in sancti Hipponensis Praesulis placita latenter invehi, quantò in omnes alias haereticas studiosius insurgere primà fronte conspicitur. Idem tradunt Benedictini Patres in notis proxime mihi laudatis, ut mirum sit, Anonymum horum Auctorum voces Norisii opinioni consonas, de proximo non audivisse. Scripsit Norisius Vincentium vanà quidem sed argutà interpretatione Caelestini Epistolam contra Prosperum ac Hilarium detorsisse. Hocine est describere Vincentiam hominem vasrum

ac subdolum, imò planè hydrocritam ac sycophantam? Noli, queso, Benedictinis syncellitibus de Augustiniana doctrinâ benè meritis, tantâ verborum acrimonia, ut tuam tibi vocem reddam, sycophantari.

Sanctus Prosper responsum edidit ad objectiones Vincentianas, ex quâ libelli inscriptione non pauci eruditi jam olim illarum auctorem dixere Vincentium Lirinensem. Laudati Patres Benedictini tom. X. operum S. Augustini, in Appendice pag. 207. scribunt: *Lovanienses observant esse, qui arbitrantur, objectionum scriptorem Vincentium Lirinensem illum fuisse, cuius extat adversus profanas vocum novitates Commonitorium scriptum circiter annum 434.* Lupus verò in peculiari tractatu de Ecclesiâ & Republicâ contrâ Pelagianos decretis pag. 457. operis posthumi ait: *Lirinensis enim Monachus Vincentius, quidam Massilienses Clerici, Galli adhuc alii & Genuenses ex ejus nempe Augustini, libris fabricarunt fœdos istos articulos, ex quibus profuit calumnia hæresis Prædestinarianæ.* Videtis Antelmium pag. 424 §. *Si etenim serid perpendantur &c.* Augustinus sententiam de prædestinatione ad primam gratiam, sive ad initium fidei, necnon ad finalem perseverantiam independentem à præscientiâ meritorum sive de congruo sive de condigno, tradiderat. Huic doctrinæ plurimi in Galliâ insignes Viri contradicebant, obijcentes illud absolutum Dei prædestinantis decretum, teste Prospero in literis ad Augustinum, *lepsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis asserere; removeri omnem industriam, tollique virtutes, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.* Hæ objectiones à Scholasticis argumenta ab absurdo vulgò dicuntur, quibus ex asertâ quâpiam sententiâ, portentosa quædam consecrariæ propositiones colliguntur, quas velint, nolint, devorent oportet illius semel posite sententiæ asertores. Eiusmodi sunt objectiones Vincentianæ, quibus S. Prosper Augustinianæ doctrinæ vindex acerrimus, edito libello satisfacit. Vincentius acerbiorum sanè notam, in illo disputationum æstu, adversariis inulsi. At hos longè severioribus dictis excepit S. Prosper postremâ parte libri contrâ Collatorem. Quis nesciat quâ censura acerbitate Hieronymus in Epistolâ ad Theophilum, & Cyrillus in literis ad Atticum, Magnam Chrysostomum perstrinxerint? Breve hanc apologiam donat Baronius circa finem Anni 412. *Homines enim illi evant, & humanis passionibus obnoxii.* An non Hieronymus in Epist. 14. ad Augustinum scribit se in ejus Epistolâ quædam hæretica judicasse? Additque: *Provoocas senem; tacentem stimulas; videris jactare doctrinam.* At eximâ Augustini moderatione factum est, ne amica illa disputatio in majorem controversiam excresceret.

## A N O N Y M U S.

Qui sciens, prudens, & malâ fide summo Ecclesiæ Pastori imponit, ut contrâ expressam ejus sententiam Augustinum ex defensore antiquæ fidei, novatorem, ex Catholico hæreticum ab ipso factum esse persuadeat: qui in tantum charitatis oblitus est, ut ad conflandam sanctissimo Doctorei ejusque Discipulis invidiam, ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia, his affingat, profectò multum abest, ut sanctitatem attigerit, cum tam longè non solum à Christianâ charitate, sed ab infimo vel humanæ probitatis gradu remotus sit. Hæc tamen sunt, quæ de Vincentio Lirinensi Norisius, à se primùm detecta gloriatur. Pag. 8.

Um S. Cælestinus in Epistolâ ad Episcopos Galliæ adversus Semipelagianos Augustini doctrinæ detrahentes, scripsisset: *Desinat si ita res est, incessere novitas vetustatem.* Vincentius cap. 43. Commonitorii ait: *Desinat, inquit, si ita res est, id est, si ita est, ut apud me quidam urbes & provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxiâ dissimulatione faciatis; desinat itaque, inquit, si ita res est, incessere novitas vetustatem.* Ergo hæc sunt beati Cælestini beata sententia, non ut vetustas cessaret obruere novitatem: sed potius novitas desineret incessere vetustatem. Claudius Frassen Doctor Sorbonicus tom. 1. Academiæ Scoti tract. 2. dispi. 3. pag. 422. scribit de Vincentii interpretatione: *Urgenao tantopere illud (si) non obscure indicat se criminationem Prosperi & Hilarii pro falsâ habere.* Idem docent Lupus, Antelmus, ac Patres Benedictini, quorum superius testimonia recitavi. Hæc S. Cælestinus scribit: *Filii nostri presentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum nescio quibus Presbyteris illic licere, qui dissensionem Ecclesiarum studeant, sunt apud nos persecuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati.* Itaque Prosper & Hilarius nescio quos presbyteros apud Cælestinum acculaverant. At Vincentius ait eisdem *Urbes & Provincias* in crimen apud Cælestinum vocasse. Et toties replicans illa si ita est, illatam criminationem falsitatis insimulare visus est. Sed hæc aliàs discussa sunt. In eâ Epistolâ non Augustinus, sed Prosper & Hilarius dicuntur à Massiliensibus reprehensi quod prædicarent adversantia veritati. Vincentius, Cassianus aliique sententiam S. Augustini de prædestinatione antè prævisa merita novitatis incusabant, quod secus anteriores Patres docuerant; ex illâ enim necessitatem fatalem aliaque absurda inferri contendebant. Dionysius Petavius tom. 1. dogm. Theolog. lib. 9. cap. 6. egregiè probat S. Augustinum statuisse, Deum antè prævisionem meritorum prædestinasse electos ad gloriam. Idem verò toto capite tertio contendit ostendere, sanctos Patres Augustino anteriores in contrariâ sententiâ communi consensu fuisse. Ergone dicitur Petavius S. Augustinum ex defensores antiquæ fidei novatorem, ex Catholico hæreticum fecisse? Novatores appellantur, qui nova dogmata Orthodoxæ fidei antiquius traditione contraria comminiscuntur; non qui novam opinionem in quæstione nondum ab Ecclesiâ definitâ, proponunt. At enim constat Massilienses laudatæ Augustini sententiæ novitatem objecisse; de illis enim scribit S. Prosper in literis ad S. Augustinum: *Obstinatorem suam vetustate defendunt; & ea quæ de Epistolâ Apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, assurant.* Quibus respondet S. Doctor cap. 14. de Prædest. Sanct. & cap. 19. de Dono perseverantiæ, ubi sanctorum Cypriani & Ambrosii auctoritate suam de prædestinatione sententiam confirmat. Quare cum Semipelagianii novitatem Augustinianæ sententiæ objectarent, inde memoratam Cælestini Epistolam suæ ipsorum opinioni favorabilem jactabant.

Quid

## S. III

Quid de sanctissimis quinto saeculo Galliae Episcopis  
statuat Norisius?

## ANONYMUS.

**N**equè hic fuit Norisius. Unà cum Vincentio  
Lirinensi alia splendidissima Galliae nostrae  
lumina, sanctissimos dico quinti saeculi Antistites  
Semipelagianismi accusat: & quod antè illum  
ausus erat nemo Catholicus, sic accusat, ut eos  
errore planè voluntario, ac malae fidei veritatem  
impugnasse significet. Pag. 9.

## RESPONSIO.

**N**orisius scribit Semipelagianorum sententiam  
non dùm fuisse ab Ecclesiâ damnatam; undè  
nullum Episcoporum Galliae sanctitati præjudicium  
intulit. At si dixisset id temporis plerisque Galliae  
Episcopos ipsa Pelagiana dogmata, ac superbae hæ-  
resis errores à Summis Pontificibus Innocentio, Zosi-  
mo, ac Bonifacio, totque Africanis Synodis præ-  
damnatos, defendisse, in quas querelas erumperes?  
quas contrà illum accusationes instrueres? quae tribu-  
nalia delationibus non fatigares? At scito diversos  
Galliae Episcopos puros putos Pelagianos fuisse. Ne  
frontem contrahas, sed aures patienter commoda.  
Recito Edictum Caesaris Valentiniani III.

Imperatores Theodosius Augustus, & Valen-  
tinianus Caesar Armatio Viro Illustri,  
Præfecto Prætorio Galliarum.

**D**iverfos Episcopos nefarium Pelagiani  
& Cœlestiani dogmatis errorem se-  
quentes, per Patroclum sacrosanctæ legis An-  
tistitem præcipimus conveniri. Quos quia confi-  
dimus emendari, nisi intrà viginti dies ex  
conventionis tempore, intrà quos deliberandi  
tribuum facultatem, errata correxerint, seque  
Catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis  
regionibus expelli, atque in eorum loco Sa-  
cerdotes fideles subrogari, quatenus præ-  
sentis erroris macula de populorum animis  
tergatur, & futurae bonum disciplinae resti-  
tuatur. Data VII. Idus Julias Aquilejæ.  
D. N. Theodosio August. XI. & Valentinia-  
no Cæsare Consulibus.

Patroclus erat Metropolitæ Arelatensis, cui Va-  
lentinianus injunxit, ut Episcopos Pelagianos, nisi  
resipiscerent, ex provinciis Gallicanis expelleret,  
Armatio Præfecto Prætorio Gallicarum manus eidem  
dare iussit. Qui pulsi fuerint, quive ad meliorem  
frugem redierint, nescimus; nec credo te posse di-  
vinare. Interim vides imperialium legum terrore  
quosdam facillè potuisse Pelagianam hæresim mitiga-  
re, ac ad Semipelagianismum declinare. Hæc scri-  
bit Christianus Lupus in Opusc. posthum. pag. 456.  
Per Patroclum Arelatensem Episcopum ac laudatam Va-  
lentinianam legem, correcti in Gallia Episcopi reliquere dis-  
cipulos eruditione ac pietate illustres; verum qui Pelagianis  
erroribus sic valedicerent, ut tamen in S. Augustini  
adversum illos scriptis quadam improbarent. Vident  
ut Semipelagianos eruditione ac pietate illustres  
nuncupet. Quod ad hos attinet, Norisius eos inter  
unum & alterum nominavit, nempe S. Hilarium Are-

latensem, ac Faustum Rejensem. Et quidem Hila-  
rium Arelatensem Semipelagianis adhæsisse disertè  
testatur S. Prosper in fine Epistolæ ad S. Augustinum:  
quod ipsum tradunt plures alii, quorum postea testi-  
monia appellabo. Unus modò instar omnium mihi sit  
Eminentissimus Cardinalis de Aguirre tom. 3. Theol.  
disp. 113. sect. 2. num. 36. ubi de Prosperi Epistolâ  
scribit: Denique infra non longè à fine iterum illos nem-  
pe Semipelagianos, meritis & honoribus claros, &  
ipsum Hilarium Arelatensem ad hæc in humanis agentem,  
qui ex parte Augustino disseniebat, sanctum appellat.  
Interim interrogemus testes, num plures Episcopi in  
Gallia Semipelagianorum partes secuti fuerint; postea  
de sanctis, sive sanctissimis sermonem faciam.

Ludovicus Molina ait: *Que Augustini doctrina  
plurimos ex fidelibus præsertim ex iis, qui in Gallia morab-  
bantur, non solum indoctos, sed etiam doctissimos viros,  
atque in Episcopali dignitate constitutos, mirum in mo-  
dum turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum  
fuisse periclitatam. Ne enim ejusmodi doctrine adha-  
rent, hæresi potius Pelagiana ex parte assentiendum  
putabant.* In Concordiâ grat. & lib. arb. quæst. 23.  
art. 4. disp. 1. memb. ult. pag. 856. edit. Lugdun. 1593.

Gabriel Vasquez scribit: *Horum Massiliensium dux  
fuit Cassianus, quem secuti sunt per Galliam Episcopi fere  
omnes suæ ætatis, inter quos ut quibusdam placet, fue-  
runt Vincentius Lirinensis & Galli permulti.* In 1. par.  
disp. 91. cap. 8. num. 43. Et antea disp. 89. capite 4.  
num. 24. loquens de Massiliensibus, ait: *Horum  
sententiam secuti sunt multi per Galliam Episcopi, ad  
quos Cælestinus Epistolam illam scribit.*

Petavius tom. 3. Dogm. Theol. in tract. de Pelag.  
& Semipel. hæresi cap. 7. num. 1. pag. 622. scribit vi-  
sum esse Augustinum totum dare gratiæ sinè ullâ ener-  
giâ voluntatis: *Quæ res, inquit, haud levem apud Ca-  
tholicos & pios ejus nomini constavit invidiam, præser-  
tim Gallicanos Episcopos, & Presbyteros in Lugdunensi  
& Arelatensi provinciâ, velut Massilia ubi tum erudi-  
tione & sanctitate florebat Cassianus &c. Illi ergo tacitè  
Augustinum vellicabant, quod Pelagiani erroris odio in  
extremum alterum excessus plusculum gratiæ & Dei au-  
xilii tribuisset.*

Theophilus Raynaudus in libro de bonis ac malis  
libris num. 581. pag. 326. scribit: *Unde discimus Hila-  
rium Arelatensem aliosque Gallicanos Episcopos & Do-  
ctores in libros Augustini strinxisse censuram, quos Cæ-  
lestinus I. Epistolâ ad Episcopos Galliae severè & fortiter  
compescuit, & enubilatâ sensum caligine, quam livor  
& astus affectuum inimicorum obduxerat, verum esse ap-  
paruit, quod de Augustino dixit Facundus Hermianensis  
lib. 9. de tribus Capitulis; Augustinus vir adamanti-  
nus, in quo omnes adversariorum dentes franguntur.  
Num vox livor tibi acerbior videtur? Eâ utus est S.  
Fulgentius de iisdem Semipelagianis in Gallia scri-  
bens lib. 1. ad Monimum cap. 30. *Huic itaque, inquit,  
pravitati, quæ B. Augustini dictis non ex veritate, sed  
ex livore obiciebatur, tali Prosper sermone respondit.**

Sed his omnibus præferendus est Bonifacius II. Pa-  
pa, qui in Epistolâ ad S. Cæsarium Arelatensem ait:  
*Indicas enim quod aliqui Episcopi Galliarum, cum cætera  
jam bona ex Dei acquirere gratiâ provenire, fidem tantum,  
quæ in Christo credimus, naturæ esse velint non grati-  
æ.* Data est Epistola sub initium anni 530. qui fuit  
ab obitu S. Augustini centesimus; tam altas radices  
egerat in Episcoporum etiam mentibus Semipelagiana  
doctrina, ut vix post sæculum potuerit extirpari.

## A N O N Y M U S.

Hoc sufficit quod ex illo discamus. Primò, plerisque Episcoporum, qui Gallianis Ecclesiis præfuerunt, inde ab ortu Semipelagianæ hæresis circè Annum 420. ad finem circiter ejus sæculi, si non etiam ulterius, Semipelagiano errore implicitos fuisse. Secundò: Non posse juxtà Norisium aliquos ab illo numero eximi eo nomine, quòd sanctitatis fama cæteris claruerint. Nunc videamus quòd hæc pertineant. Pag. 13.

## R E S P O N S I O.

Jam intellexisti ex Bonifacii Papæ literis, ac ex scriptis insignium Doctorum, Episcopos quoque in Galliâ Semipelagianorum partibus adhæsisse. Fuerintne pauci, multi, plures, nec mea, nec ipsorum interest, ut intelliges. Extremo sæculo aliqui, fervente disputatione multi vel plures esse potuerint. Si paucos dixeris, eisdem facile digitis computabis. Quod illorum sanctitatem spectat, accipe responsum S. Remigii Archiepiscopi cum suâ Lugdunensi Ecclesiâ in libro de tribus Epistolis cap. 35. ubi cum dixisset S. Augustinum libros de Prædest. Sanct. & de Domino perferer. elucubrasset, ait: *Compellente scilicet tantâ super hac re quærimoniâ & perturbatione magnorum & sanctorum apud Gallias virorum, qui ejus disputationibus in tantum permoti fuerant, & quodam tædio affecti, ut prædestinationis sensum, qui ab eo constanter & instanter prædicabatur, vel falsum, vel quasi valde periculosum, potius tacendum esse judicarent. Ita Semipelagiani qui doctrinæ Augustinianæ contradicebant, magni & sancti appellantur. Hæc ille didicerat à S. Prospero, qui Semipelagianos per literas Augustino describens, ait: *Possumus quidem ad credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares; qui a multum nos & vitæ meritis antecellunt &c.* Quæ postrema verba vitæ sanctimoniam expriment. Accedat testis locupletissimus Jacobus Sirmondus, qui tom. 1. Conc. Galliæ pag. 605. in notis ad Synodum Arausicanam II. ait: *Intererat autem Concilium istud, quod Leonis olim Papæ temporibus adferebatur, ad hæc potius tempora differri propter multos doctrinâ & pietate præstantes viros: qui spatio interjecto, favere in Galliâ visi sunt Semipelagianis, quorum placitum in hac demum Synodo, quam Sedis Apostolicæ auctoritas comprobavit, penitus explosa, & rejecta sunt.* Intelligis quis & quæ dicat? Sirmondus Ecclesiasticæ historiæ consultissimus, tradit plurimi interesse Synodum Arausicanam affigi annos 29. ob multos doctrinâ ac pietate præstantes viros, qui à pontificatu Leonis Magni, nempe ab annis ferè nonaginta, in Galliis Semipelagianis favere visi sunt. Audisne uti dicit multos? At, inquis, non eos Episcopos nuncupat. Esto; vocat tamen pietate præstantes, cujus ratione Norisio dicam dicis. Itaque expunge illa verba: *Hoc sufficit quod ex illo discamus.* Haud tibi opus est Norisii magisterio, nec illè vellet, cum homine tam scrupuloso operam perdere. Disce illa ex Bonifacio II. ex S. Prospero, ex Ecclesiâ Lugdunensi. Disce ex Molina, Vasquio, Raynaudo, Petavio, Sirmondo, aliisque à me productis Scriptoris. Cum neminem illorum consuleris, quid mirum, si tot undique scrupulis implicitus Censores roges, ut te ex iisdem expediant? Hic verò vetusta Ecclesiarum diptycha perlustras; consulis Sammarthananorum tabulas, ac plures sanctos Antistites, qui quinto sæculo in Galliâ florere, recensens, ac concludis pag. 14. juxtà Norisium ex tan-*

to numero benè multos Semipelagianos extitisse. Jam dixi, nolle me eisdem ad calculos vocare.

## A N O N Y M U S.

Posito quòd Semipelagiani fuisse probarentur, hæc facilis & obvia responsio suppetebat: errasse illos bonâ fide, ac finè pertinaciâ, paratos sententiam mutare ubi primùm Ecclesia præciperet; cum interim per ignorantiam involuntariam & inculpabilem nescirent opinionem illam noxiam esse, ac Semipelagianæ hæresi reipsa connexam. Atque hanc respondendi rationem vulgò inierunt quicumque aliquem ex antiquis defendere sunt aggressi, quem à Semipelagianismo vindicari non posse crederent. Pag. 14.

## R E S P O N S I O.

Non ibo inficias, imò ultrò concedo, Semipelagianos doctrinâ ac pietate præstantes viros, paratos fuisse sententiam mutare, statim ac contrariam Ecclesia præcepisset. Etenim uti scribitur in primo capitulo assuto S. Cælestini Epistolæ: Semipelagiani ea tantummodo sequi & probare profitebantur, quæ sacratissimè beati Apostoli Petri Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit, & docuit. At enim peto abs te, Apostolicane Sedes antè Synodum Arausicanam docuerat initium fidei in nobis non ex nobis, sed ex Deo esse? Si affirmas; omnes Semipelagianos reapse hæreticos facis: quippè qui damnatam ab Ecclesiâ opinionem defenderunt. Sin autè negasset ergo res illa quæstionis, non dogmatis, ita ut quilibet pro arbitrio utram partem posset citrà læsæ fidei notam tueri. An non hæc tota eaque solida ratio est, quâ Norisius Semipelagianorum sanctitatem defendit? Hæc ille scribit lib. 2. Hist. Pelag. capite 11. *Tunc ab Augustino in controversiâ de prædestinatione ad fidem recedebant, quando fas erat, ea de re in utramque partem disputare; anno enim demum centesimo ab Augustini obitu, S. Doctoris sententia in Arausicanâ Synodo inter fidei canones relata est.* Quòd video, te in his parum esse versatum, undè ex multarum rerum ignorantia tanta tibi scrupulorum seges excrevit, stylum tui unius instruendi gratiâ, tantisper hic sistam.

Semipelagiani omnes bonos virtutum actus gratiæ divinæ adjutorio fieri contrà Pelagium fatebantur. Solum initium fidei, nostris viribus fieri posse autumabant, quam quidè opinionem citrà læsæ fidei periculum, in utramque partem disputari posse dicebant. Cassianus Semipelagianæ Scholæ conditor, Colat. 13. cap. 11. scribit: *Et ita sunt hæc quodammodo indiscretè permixta atque confusa, ut quid ex quo pendeat, inter multos MAGNA QUÆSTIONE volvatur, id est, utrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium.* Ubi initium fidei aliquando esse ex nobis, probat ex Zachæi ac boni Latronis fide, qui desiderio suo vim quamdam regni cælestibus inferentes, specialia vocationis monita prævernerunt. Et cap. 15. idem de Zachæi fide repetit, cui addit etiam Cornelium, cujus fides plenam gratiæ largitionem præcessit, tanquam occasio, non tamen veluti meritum de condigno. Itaque num initium fidei sit ex dono Dei, an ex nobis, non dogma fidei attingere, sed magnam inter multos quæstionem esse proficitur. Prosper in Epistolâ ad Augustinum, cum dixisset, in Semipelagianorum opinione virulentæ Pelagianæ fibræ nutriri, si principium salutis malè in homine collocetur; si diuina voluntati impiè voluntas humana præfertur,

fertur, ut idē quis adjuvetur, quia voluit, non idē quia adjuvatur, velis, statim ait: Ac primum quia plerique non putant, Christianam fidem hac disensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias. Itaque Semipelagiani asserabant, nihil de initio fidei sive ex Deo, sive ex nobis decretum fuisse ab Ecclesiā, sed esse rem adiaphoram; & inter Catholicos liberē ac licitē controversam. Hinc nulla ad Semipelagianorum sanctitatem defendendam ratio expeditior ac facillior adduci potest, quā nondum ea de re quidpiam statutum fuisse ab Ecclesiā. Cū enim hereticus sit, qui pertinaciter damnatas ab Ecclesiā opiniones & errores tuetur; Semipelagiani ab omni hæreseos notā à Norisio liberantur. Hanc planē viam iniiit Augustinus, ut S. Cyprianum hereticos rebaptizantem, à culpabili errore defenderet. Etenim lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 18. de baptisimi quæstione ait: *in qua tamen si aliud alii, & aliud alii adhuc de istā quæstione, salva pace, sentiant, donec universali Concilio animum aliquod eliquatum sincerumque placuisset, humana infirmitatis errorem cooperiret caritas unitatis.* Et lib. 4. cap. 6. *Quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Ecclesiā.* Et lib. 2. cap. 4. *Nec nos ipsi tale aliquid audeamus asserere, nisi uni versæ Ecclesiæ concordissimā auctoritate firmati, cui & ipse Cyprianus sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur.* Ita pariter viri eruditiores Semipelagianorum sanctitatem defendendam esse duxerunt. Audisti Sirmondum, qui ait interesse Synodum Arausicanam differri ad annum 529. propter multos doctrinā & pietate præstantes viros, qui spatio interjecto favere in Galliā visi sunt Semipelagianis. Ludovicus Thomassinus dissert. 13 in Synodos num. 30. pag. 460. cū nominasset Hilarium Arelatensem, Vincentium, Faustum, Cassianum &c. ait: *Ita fiet ut non invidemus, non obretemus spectatæ eorum complurium sanctitati, cui Augustinus & Prosper ipsi applaudebant. Nec magnopere satagemus, an antè obitum acquieverint saniori doctrinæ.* Cū ad Arausicanam saltem usque Synodi tempora inter Catholicos numerari non desierint. Theophilus Raynaudus cap. 3. Apologiæ pro Valeriano Comelonenſi scribit: *Erunt ergo qui existiment eam maculam esse in Valeriano minorem, quod Valerianus eo ævo vixerit, eaque in regione, cuius plerique omnes Præsules (dolentne tibi oculi?) & viri sanctitate ac eruditione præstantes, ad eundem scopulum naufragantes, de initio fidei ex humana voluntatis aliquo per se ipsam nisu: deque gratiā Dei humane invocationi subiectā &c. à D. Augustino impunè dissidebant: donec post annos circiter LX. eoque amplius Concilii Arausicani II. definitione, proscripto errore, veritas Catholica constabilita est.* Litigabas cum Norisio, quod plerosque Præsules; & nullam Vasquo fidem dabas, qui omnes ferè Episcopos in Galliis Semipelagianos dixerunt. At Raynaudus abjectā particulā diminutivā, utrumque numerum junxit, plerosque omnes affirmans Semipelagianizasse.

Post testes gravissimos ac doctissimos, iudicem appello, ad cujus tribunal à tuis hisce scrupulis provo-co. Is est Eminentissimus Cardinalis de Aguirre in scholasticā palæstrā ac Ecclesiasticā eruditione versatissimus, idemque de utrāque editis doctissimis voluminibus, benè meritis. Veniam det magni nominis Princeps purpuratus, quod exili huic opellæ ejus sententiam ausum inferere. Ille tom. 3. Theolog. disp. 113. sectioni secundæ huncce titulum præfigit: *Quinam fuerint illi servi Christi qui doctrinam Augustini*

in Galliā sagillabant. Cū autem pluribus erudite demonstrasset Semipelagianos fuisse Doctores Orthodoxos, num. 38. hæc scribit: *Quam in rem notanda sunt verba Henrici de Novis doctrinā & professione Augustiniani lib. 2. Hist. Pelag. cap. 23. paginā mibi 329. ubi referens acta Synodi Arausicane II. sub Felice IV. Papa, post exscripta verba quadam præfationis subdit (Sequitur viginti quinque canones, quibus Semipelagianorum sententiæ QUÆ EO USQUE CITRÀ LÆSÆ FIDEI CRIMEN LIBERE DEFENSÆ FUERANT, condemnatæ sunt, ut absque hæreseos notā à quovis in posterum propugnari non poterint. Quæ plerique non advertentes, magnam sanctis Patribus Hilario Arelatenſi, Vincentio Lirinensi, & ut alii etiam volunt, Joanni Chrysostomo aliisque à Graciā Doctoribus injuriam irrogari conqueruntur, si Semipelagianorum sententiæ asseruisse dicantur; id enim fecere vel nondum motā, vel pendente lite &c.) Videsne sententiam Norisii ab Eminentissimo ac sapientissimo Auctore non modò approbatam, verum etiam grandioribus characteribus, quæis fieret notabilior, expressam?*

Et sanè usque ad approbatam à Bonifacio II. Synodum Arausicanam, dubiam fuisse sententiam de initio fidei, patet ex eisdem Pontificis Epistolā ad S. Cæsarium, in quā cū dixisset, indicatum sibi ab eodem, quosdam in Galliā Episcopos fidem humani tantum arbitrii viribus deputare, addit: *Postulans, ut pro AMBIGUITATE tollendā, confessionem vestram, quā vos è diverso fidem vestram in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium, juxta Catholicam veritatem per prævenientem Dei Gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis Apostolicæ firmaremus.* Ita res adhuc erat in quæstione: dubia erat & ambigua, quamvis dicat Bonifacius tam multa à S. Augustino, ac Romanis Pontificibus de divinā gratiā statuta fuisse, ut nulli ulterius deberet esse AMBIGUUM, fidem quoque nobis ipsam venire de gratiā. Et sanè Synodus Arausicana ea, quæ superius ex Cassiano adduxi, palam condemnans, ait: *Undè manifestissimè credendum est, quod & illius Latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachari, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de naturā sed divinæ largitatis donum.* Hinc Labbeus tom. IV. Concil. pag. 1042. five, quod errati sunt numeri paginarum, in notis ad Concilium Arelatense Anni 475. scribit: *Ceterum gravi ac diuturnæ contentione, quæ SANCTISSIMOS & doctissimos utrinque viros in Galliā centum amplius annos exercuit, finem postea tandem attulit Synodus Arausicana II. quæ totam de gratiā & libero arbitrio controversiam ex Sancti Augustini sententiā composuit.*

Jam ad te redeo. Scribis Semipelagianorum sanctitatem defendi, quod per ignorantiam involuntariam & inculpabilem nescirent opinionem illam fidei noxiam esse, ac Semipelagianæ hæresi reipsa connexam. Videsis quæ scribas. Nulla erat id temporis hæresis Semipelagianæ; atque illa opinio antè Synodum Arausicanam erat sub lite inter Catholicos, sicut pleræque aliæ opiniones antè expressam Ecclesiæ definitionem. Quod addis omnes ab ignorantia involuntariā & inculpabili eorundem defensionem collegisse, jam falsum esse didicisti ex Sirmondo, Raynaudo, Labbeo, Thomassinio. Imò Antelmus Dissert. 1. de vero Auctore Capitulorum &c. par. 2. num. 15. pag. 68. scribit: *Atque cū sit OMNIUM assensione firmatum iudicium, Nostrorum, id est Semipelagianorum*

norum, fidem antè Synodi Arausicanæ celebrationem, in jus vocari non potuit. At tu confugis ad ignorantiam involuntariam & invincibilem, quæ sanè haud esse potuit in Episcopis, quando ea opinio fuisset tanquam hæresis ab Ecclesiâ damnata. Ignorantia invincibilis, si sapias, eos etiam excusat, qui tuentur hæreses, quas nesciunt ab Ecclesiâ cum anathematis interminatione proscriptas. At quousque opinio quæpiam non est prædamnata, licitè potest defendi: ac vanum & superfluum est eandem aserentes ob ignorantiam invincibilem à culpâ, quæ nulla est, excusare. Hæc forsitan melius proximè intelliges.

## A N O N Y M U S.

„ Sed illam ipsam defensionis viam, ut Vincentio,  
„ ita Gallicanis Episcopis, de quibus agitur,  
„ sollicitè præclust Norisius. Cùm enim Rodericus  
„ de Arriagâ, juxta communem sententiam, dixisset  
„ invincibilem ignorantiam multis Semipelagianorum  
„ noxam Massiliensium patrocinari potuisse, sic ille  
„ in eum insurgit. Et post verba Norisii, addit: Quod  
„ si jam tum involuntarium fuisse negat talium erro-  
„ rem, cùm de his circa initia ad Augustinum scri-  
„ psere Prosper & Hilarius; quanto magis post ultimi-  
„ mos S. Doctoris libros, ubi multò validius atque  
„ apertius Catholica fides Semipelagianismo contra-  
„ ria stabilitur; post S. Cælestini Epistolam in Semipelagianos scriptam, post tot alios Prosperi tractatus, quibus idem error planissimè revincitur?  
„ Non potuerit igitur, si Norisium audimus, absque  
„ gravi culpâ, imò nisi malâ fide, Semipelagianis  
„ partibus addisti manere. Pag. 15.

## R E S P O N S I O.

„ Constat inter doctos, ex ignorantia scrupulos nasci; hinc facilè à scrupulis ad ignorantiam retrograderis. Verùm, ut quidpiam saltem de ignorantia discas, meam manu ad S. Thomæ scholam in præsentia te duco, ut quæ Angelicus præceptor in 1. 2. q. 76. art. 2. docet, intelligas: Unde, inquit, propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest; unde horum ignorantia dicitur invincibilis, quia studio superari non potest, & propter hoc ignorantia, cùm non sit voluntaria, eò quòd non est in potestate nostrâ illam repellere, non est peccatum. Ignorantia autem vincibilis est peccatum, si sit eorum, quæ aliquis scire tenetur, NON autem, si sit eorum QUÆ QUIS SCIRE NON TENETUR. Hæc S. Doctor. In ignorantiam partiris in invincibilem, ac vincibilem; hanc ais esse voluntariam, culpabilem, ac malâ fidei; cùm illa prior sit inculcata ac bonæ fidei. Erras; nam ignorantia culpabilis ac malæ fidei est species subalterna ignorantie vincibilis, quæ rectè ab Angelico in binas species dividitur, quarum prior est culpabilis, cùm est eorum, quæ quis scire debet; posterior verò inculcata, quæ est eorum, quæ quis scire nullâ lege tenetur. Quòd verò in scholâ versamur, libeat syllogizare: Ignorantia vincibilis ejus quòd quis scire nullâ adhuc lege tenetur, est compossibilis cum sanctitate, atqui ignorantia vincibilis Semipelagianorum erat ejus, quòd scire nullâ adhuc lege tenebantur, ergo talis eorum ignorantia erat compossibilis cum sanctitate. Major propositio est certa, quia ex Angelico Doctore, ea ignorantia vincibilis non est peccatum, quòd solum non est compossibile cum sanctitate. Uti enim non facere id, quòd nullâ lege fieri imperatur, non est

peccatum: ita nullum peccatum est, nescire id, quòd sciri nullâ lege jubetur. Minor verò propositio constat ex superioribus narratis. Nam de initio fidei ex nobis, an potius ex Deo, erat teste Cassiano, inter multos magna quaestio; erat controversia sub ambiguitate, uti ait Bonifacius II. erat res quaestio non dogmatis, quæ, ut ait Labbeus, sanctissimos & doctissimos utrinque viros in Galliâ centum amplius annos exercuit; donec illi Synodus Arausicana à Bonifacio II. confirmata, finem imposuit. Num potis es, quodpiam decretum Sedis Apostolicæ, vel cujuspiam Synodi canonem invenire, quibus antè Synodum Arausicanam opinio illa de initio fidei ex nobis, & non ex Deo, damnata fuerit? Si nullum ejusmodi decretum invenis, nullâ lege tenebantur, ad eam opinionem exuendam. Si talem quempiam canonem produces, deturpatur pietas Episcoporum Galliæ, qui ex laudatis Bonifacii II. literis anno adhuc centesimo ab obitu Augustini, in Semipelagianio luto hærebant; siquidem Episcopi tenentur scire canones Ecclesiasticos, ac proinde illorum ignorantia est in ipsis culpabilis. Hac ratione solvitur quaestio juris, & optimè cum illâ ignorantia vincibili Semipelagianorum sanctitas componitur. Tu quidè negotium tibi frustra facessis, ac distinguens ignorantiam in invincibilem, & vincibilem: in involuntariam, & voluntariam: in inculpatam, ac culpabilem: in eam denique quæ bonæ sit fidei, & alteram malæ fidei, impleas paginulas, ac scrupulos multiplicas. Desine talibus. Ignorantia, si illa sit invincibilis, si vincibilis, ejus quòd quis scire non tenetur, perinde est; non est peccatum, sanctitatem non contaminat, nihil tibi prodest, nihil Norisio nocet.

Jam verò si velis ad quaestionem facti transire, nempè inquirendo num ignorantia Semipelagianorum reapse vincibilis, an verò potius invincibilis dicenda sit, ibimus, Amice, in longum, ac plurimis difficultatibus undiquè septam viam calcabimus. Quamvis enim supponamus ignorantiam vincibilem illam dici, quæ humano studio ac diligentia superari potest, sumus in limine, ac integra restat via: nam in taxandâ mensurâ studii ac diligentie requisitæ ad hoc, ut ignorantia invincibilis & vincibilis discerni liquiddò possint, tantum inest difficultatis, ut Michael de Elizalde acutissimi ingenii vir lib. 5. de doctrinâ morum quaest. 15. rem exponere aggressus, ejusdem veluti pondere pressus, in fine concluderet, necessariam diligentiam medio justo à nobis vix posse taxari; multum quidè esse faciendum; at determinari non posse plus, & minus; eum qui multum studii ponunt, dubitent, ne pro munere suas partes impleverint; & qui minus diligentie navant, debito satisfecisse putantes, ipsamet confidentiâ delinquant. Ad hæc de voluntario indirecto disputandum est. Præterea num diligentie debita sit pura omissio, eaque tantum volita interpretativè. Denique an intellectus necessariò specificativè assentiat opinioni, quæ sibi verisimilior apparer, ita ut non possit minus verisimilem amplecti; qua de re doctè æquè ac acutè disputat Reverendissimus P. Thyrsus Gonzalez dissert. 3. de recto usu Opiniorum probabilium cap. 2. Hæc quidè & aliæ plures salebræ complandæ sunt, varii quaestionum sinus penetrandi, & multæ dissolvendæ perplexitates. At Norisius uno ictu Gordium hunc nodum secans, scribit Gallicanos illos Doctores non peccasse, negando initium fidei esse donum Dei, quia id nullâ adhuc lege antè Synodum Arausicanam credere cogeantur.

Ita



Ita Augustinus Cypriani hæreticos rebaptizantis errorem cum ejusdem sanctitate conjunxit; & ita pariter tot viri doctissimi Semipelagianorum pietatem ac sanctimoniam eo, quo tenebantur, errore deturpata fuisse negarunt.

Præterea Norisius Semipelagianorum sanctitatem non modò à formali, ut inquit Scholastici, verum etiam à materiali peccato hæreses defendit, à quo altero tua illa ignorantia invincibilis illos nullatenus vindicat, ut quamvis non formaliter, fuerint tamen materialiter hæretici. Nam qui tuetur errorem, quem invincibiliter ignorat damnatum fuisse ab Ecclesiâ, est materialiter hæreticus; quamvis errori inhærendo, non peccet. Ejusmodi facis Semipelagianos, pro quorum sanctitate tot scrupulos moves, versas, reveralas. At qui tuetur opinionem nullâ adhuc lege ab Ecclesiâ proscriptam, is sanè nec formaliter, nec materialiter est hæreticus. Hanc planè sanctitatem Norisius Semipelagianis attribuit. Cur ergo illum violatè Antiquitum Galliæ sanctimoniarum postulas, quos tu materialis hæreses novo inficis, à quo tamen Norisius eosdem vindicat? Si hac in re quipiam adhuc te scrupulus pungit, ad Franciscum Suarez, maximum ac celeberrimum Theologum temere remitto, qui Prolegom. V. de gratiâ cap. 5. num. 6. hæc tibi in aures insuffurabit: *Nondum enim erat illa sententia Semipelagianorum hæresis vel erroris damnata ab Ecclesiâ, ut Prosper in fine libri contra Colatorem aperte docet, Cassianumque inter Catholicos numerat.* Enimverò, cum dixisti omnes qui Viros sanctos Galliæ defendendos suscipere, ab ignorantia invincibili legitimam illorum excusationem eruisse, legerasne Suarium, Sirmondum, Raynaudum, Cellotium, Labbeum? Consuluerasne harumce rerum peritissimum Thomassinum, ac Semipelagianorum conterraneum eundemque Lirinensium secretorum scrutatorem Antelmium? Illæne etiam literæ grandiori formâ in Eminentissimi Scriptoris volumine expressæ, tuos oculos fugere? Dic, amabo, horum, quâ laborabas, ignorantiam ad quam speciem contrahas? Invincibilem, an vincibilem appellabis?

Quodd verò etiam brevem illam Norisii in angulo libri appendicem scrutatus es, ut scrupulos majori numero impleres; ibique idem Scriptor negavit Semipelagianos ignorantia invincibili laborasse, hanc ejus sententiam paucis expediam, ne in eas te meque difficultates proximè indicatas, conjiciam, opportunum de eadem postea sermonem facturum. Sanctos Galliæ Episcopos cum sanctis Augustino, ac Cypriano comparabo, illorumque errorem ex ignorantia vincibili cum eorundem sanctitate componam. Sanctus Augustinus in libro de prædest. Sanct. cap. 3. laudatâ sententiâ Apostoli 1. Cor. IV. 7. *Quid autem habes quod non accepisti?* ait: *Quo præcipue testimonio eriam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis; quem errorem initio sui Episcopatus deposuisse testatur.* Itaque S. Doctor in eo versabatur errore, qui præcipuus postea fuit ac proprius Semipelagianorum. Quis autem dixerit Augustinum sic errantem, fuisse sine charitate, ac omni privatum sanctitate? At illa ignorantia erat vincibilis, quia adhibita diligentia, quam poterat ex Paulinæ Epistolæ lectione adjungere, errorem emendasset. Si Augustinus illam ignorantiam reapse vicit, eadem profectò vincibilis fuit. At inquires, sine notitia aut advertentiâ ad laudata verba Apostoli, illa erat ignorantia invincibilis. Nihil dicis. Nam habitâ

illâ advertentiâ, ea pariter ignorantia reapse victa fuit; ac proinde fuerat antea vincibilis. Repones: In illo priori signo sive instanti, in quo Augustinus cepit advertere textum Apostoli, tunc ignorantiam antea invincibilem, tum primum cepisse vincibilem esse. Jam vocamur ad signa, ac instantia, quæ quidam ad evadendas inextricabiles difficultates, ullo sine fine multiplicant. In illo instanti incipit ignorantia reapse vinci, non autem esse invincibilis; & in illo ignorantia est proximè vincibilis, cum antea illud instans esset remotè, sive non tam proximè vincibilis. Præterea: In quocumque instanti sive tempore, quo S. Doctor potuit legere, & advertere illud dictum Apostoli, poterat superare illam ignorantiam; at omni tempore à baptismo ad Episcopatum potuit legere, & advertere verba Apostoli, ergo toto eo medio tempore potuit illam vincere, ac superare ignorantiam. Eo instanti, quo legit, & advertit, vicit. Et quocumque potuit instanti legere & advertere, potuit vincere. Igitur erat ignorantia vincibilis, non invincibilis. Rursus hæc propositio complexa conditionalis est vera: Si Augustinus legat & attendat verba Apostoli, vincet ignorantiam, quâ laborat, at in quocumque instanti poterat conditionem illam purificare, ac proinde in quocumque instanti poterat ignorantiam illam depellere. Sed quid pluribus argutando moror in re apud ipsummet Augustinum confessâ ac manifesta? Nam lib. 1. Retract. cap. 23. fatetur se in expositione Epistolæ Apostoli ad Romanos adhâsisse errori Semipelagianorum de initio fidei ex viribus liberi arbitrii, additque: **NONDUM DILIGENTIUS QUÆSIVERAM, nec adhuc inveneram, qualis sit electio gratiæ &c.** quæ etiam repetit cap. libri de Prædest. Sanctorum. Itaque testatur se tunc errasse ob omnissimam diligentem inquisitionem, quam ad veritatem assequendam non adhibuit, cum illam tamen potuisset adhibere. Itaque taliter errans, ignorantia vincibili laboravit, quæ intervenit, quoties ex omissione diligentioris inquisitionis erratur. Num dices impossibile Augustino fuisse, tunc uti majori diligentia? Quo tandem argumento hanc impossibilitatem demonstrabis?

Hæc explicari possunt exemplo ducto à conscientia erroneâ. Qui operatur ex conscientia vincibiliter erroneâ, operatur ex ignorantia vincibili. At erroneè ita operans, licet tunc nullam habeat advertentiam malitiæ, imò putet se rectè agere, nihilominus peccat, quia saltem potest malitiam advertere; quamvis hæc advertentia sit impossibilis cum judicio pratico erroneo, quocumque in perperam tunc operatur. Christus Dominus Joann. VI. 2. ait: *Ut omnis qui interficit vos, arbitretur ossequium se præstare Deo.* Cum autem Apostolorum occisores, ac Christianorum persecutores putabant obsequium se Deo præstare, judicabant semet rectè & meritorie etiam apud Deum operari, cum quo errore intellectus erat impossibilis advertentia ad malitiam occisionis ac persecutionis Christianorum. Illi tamen ex ignorantia vincibili peccabant, quia tenebantur, necessariam diligentiam adhibere, ad consequendam Christianæ fidei veritatem; quæ omisso diligentia faciebat, ut peccata illa essent ipsis voluntaria indirectè, & ex necessitate consequenti derivarent, cujus ipsimet, requisitum studium ac diligentiam omittentes, auctores fuerant. Hæc ignorantia ita illis erat peccatum, ut esset etiam causa peccati, nempe occisionis Christianorum. Illa tamen licet vincibilis, ignorantia Augustini non erat peccatum, quia erat ejus, quod scire nondum aliquâ

lege jubebatur. Hinc S. Thomas in 2. Sent. dist. 22. q. 2. art. 1. ait: *Nec est mirum, si hoc ipsum, quod est scientiâ carere, est peccatum ei, qui potest, & tenetur habere.* Unde nondum existente definitione Ecclesiæ, error Augustini de initio fidei ex nobis, erat innocuus; & quamvis possit illam ignorantiam vincere, nulli fiebat culpæ obnoxius, quia nullâ lege obligabatur, oppositam scientiam habere. Cur ergo tantum scrupulorum pulverem excitas contra Norisum, quod scripsit plures Gallicanos Episcopos Semipelagiano errore deceptos fuisse, cum eodem pariter implicitus fuerit usque ad initia Episcopatus, summus ingeniorum apex, magnusque Ecclesiæ Doctor Augustinus? Vasquez 1. par. disp. 91. cap. 9. num. 57. *Siquidem, inquit, Massilienses & per Galliam tot etiam insignes Viri in eadem opinione fuerunt. Res enim admodum subtilis & difficilis erat ad explicandum, donec Augustinus ingenii sui felicitate, ut multa alia, eam nobis explicuit.*

Hinc gradum faciam ad ipsorum Massiliensium ac sectatorum ignorantiam exponendam. Sanctus Augustinus in laudato libro de Prædest. Sanct. cap. 4. iterum de suo circa initium fidei errore verba faciens, ait: *In quâ sententiâ istos fratres nostros esse nunc video; quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. Nam si curassent, invenissent istam questionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam.* Augustinus hic Semipelagianos appellat fratres, ac proinde illos uti Catholicos agnoscit. Dum verò illis objicit, quod lectis abs se editis libris, non curaverunt proficere secum, infero eisdem potuisse curare, ac curando proficere. Erat ergo ignorantia vincibilis, quam Augustiniani libri lectione depellere potuissent. Sanctus Doctor lectione laudati textus Apostoli: *Quid autem habes, quod non accepisti? intellexit initium fidei, sive ipsum velle credere, esse ex dono Dei, uti fuse colligit in libro de Spiritu & lit. cap. 33. Quam doctrinam repetit in libro de Corrept. & grat. cap. 2. 6. 7. & 9. At Massilienses cum collegis in Galliâ negarunt ex recitatis verbis Apostoli probari initium fidei esse in nobis ex gratiâ, teste Hilario in Epistolâ ad Augustinum de Semipelagianis scribente, eos afferere: *Nec de hac fide posse dici: Quid habes, quod non accepisti? cum in eadem naturâ remanserit, licet vitata, quæ prius sana ac perfecta donata est.* Prosper in responsione ad excerpta Genuensium tradit Semipelagianos asseverasse, Augustinum meliora sensisse, quando existimabat, fidem, qua Christiani sumus, non esse ex gratiâ, sed ex viribus liberi arbitrii; modo autem errare eum, qui asseveret etiam ipsam fidem Dei esse donum, & ad hanc quoque pertinere, quod dictum est: *Quid autem habes, quod non accepisti?* At cur medium sufficiens ad assequendam veritatem, quo Augustinus ignorantiam illam vicit, non movit Semipelagianos ad intelligendum etiam initium fidei à Deo haberi? Rationem præstat Prosper in literis ad Augustinum, scribens de Semipelagianis post lectos ab iisdem libros S. Doctoris de Correptione & Gratiâ: *Qui persuasionis suæ impediuntur obscuro, avertentes quam fuerant, recesserunt.* Itaque persuasionis suæ, id est, conceptæ semel opinionis nimio affectu, sinistras interpretationes commentabantur, quibus Pauli Apostoli sententiæ vim declinant. At Augustinus cap. 5. de Prædest. Sanctor. refellens Semipelagianam expositionem ait: *Nihil ad id, quod volunt, valere intelligitur, si sur hoc dixerit Apostolus cogitetur.* Quam in rem cum plura adduxisset, concludit: *Quisquis audeat dicere,**

habeo ex me ipso fidem, non ergo accepi, profectò contradicit huic apertissima veritati. Cyprianus Epist. 2. ad S. Stephanum Papam, ait: *Ceterum scimus quosdam quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter Collegas pacis & concordie vinculo, quædam propria quæ apud se semel sint usurpata, retinere.* Ita illi semel susceptæ opinionis caligine impediti, apertissimam veritatem perspicere non poterant, sed priorem sententiam tuebantur, ut Augustini verbis utar lib. 12. Confess. cap. 25. *non quia vera erat, sed quia sua erat.* Quibus Evangelium est sufficienter promulgatum, non possunt amplius ab ignorantia invincibili excusari. Non ergo dicendi sunt Semipelagiani post lectionem librorum S. Augustini laborasse ignorantia invincibili, qua adhuc nescirent, initium fidei non esse in nobis ex nobis, sed dono gratiæ Dei. Nec juvat reponere, rationes, quibus in suâ adhuc opinione detinebantur, fuisse apud ipsos verisimiliores, quam illæ, quas pro verâ sententiâ stabilicandâ Augustinus adducebat. Nam cum rationes essent reapse falsæ, & solummodo apparenter veræ, si majus studium & accuratiorem diligentiam adhibuissent, ac divinam opem ad veram sententiam atsequendam implorassent, easdem rationes & debiles & omninò falsas esse intellexissent. Qui autem non adhibet diligentiam quantum potest, & quanta rem decet, ut veram sententiam atsequatur, is patitur ignorantiam vincibilem, quæ est illi etiam indirectè voluntaria.

Hæc omnia exemplo S. Cypriani ex libris S. Augustini de Baptismo contra Donatistas exponam. Ille ad hæreticos rebaptizandos motus est rationibus, quas planè veras arbitrabatur, hæc scribente Augustino lib. 2. cap. 7. *Irruerunt in oculos animæ verisimiles rationes, & intercluserunt iter pervestigandæ veritatis.* Et postea ait Cypriano oppositam fuisse consuetudinem, juxta quam Ecclesia Romana & occidentalis hæreticos ad Catholicam fidem redeuntes, non rebaptizabat: *Defensiones autem, inquit, ipsius consuetudinis non tales afferrent, quibus talis anima moveretur, noluit vir gravissimus rationes suas, etsi non veras, quod eum latebat, sed tamen non vitas, veraci quidem, sed tamen NONDUM ASSERTÆ consuetudini cedere.* Jam quæramus ab Augustino, num Cyprianus ob ignorantiam invincibilem putaverit hæreticos esse rebaptizandos? Hæc ibidem Augustinus prosequitur: *Sed cum fatigatum præcedentis Concilii, quod per Agrippinum factum est, exceperet auctoritas, maluit prædecessorum suorum tanquam inuentum defendere, quam inquirendo, amplius laborare.* Nam in fine Epistolæ ad Quintum, ita ostendit, in quo tanquam lectulo auctoritatis, quasi fessus acquirerit. Igitur Cyprianus maluit in decreto Agrippini de rebaptizandis hæreticis post acrem disputationem quiescere, quam inquirendo, amplius laborare. Fuit ergo ignorantia vincibilis, quod non sategit magis laborando, ac diligentius inquirendo, ad veram sententiam pervenire. Idem S. Doctor lib. 4. cap. 6. scribit: *Quod cum sibi adversus totius Orbis morem non sufficere cerneret, has rationes arripuit, quas modo nos antiquitate ipsius consuetudinis, & plenarii postea Concilii auctoritate firmati, diligentius considerantes, veri potius similes, quam veras esse invenimus, quæ illi vera vise sunt, in obscurissimâ questione laboranti.* Cyprianus eas rationes addensat in Epistolâ 73. eaque prolixâ ad Jubajanum, quam memorans Augustinus lib. 3. cap. 4. ait: *Et profectò issem in eandem sententiam, nisi me ad diligentiorum considerationem revocaret tanta*

*auctoritas aliorum &c.* Si Cyprianus diligentem considerationem intendisset, qualem adhibuit Augustinus, cognovisset suarum rationum falsitatem, suamque ignorantiam superasset. At cur Cyprianus eam majorem considerationem habere non potuit? Quod si nolens inquirendo amplius laborare diligentiori considerationi non incubuit, vincibilem sanè ignorantiam passus est. Porro consideratio sive diligentia alia ordinaria, alia extraordinaria est. Cyprianus magnam quidem licet ordinariam, diligentiam, quæ sibi prudenter rem consideranti sufficiens videbatur, ad veritatem in quaestione de rebaptizandis hæreticis, assequendam adhibuit, ac plures Synodos, & quidem ex universâ Africâ coactas, celebravit, in quibus unanimi sententiâ rebaptizatio decreta fuit. Quare ita ea in difficultate suas partes implevit, ut diligentem inquisitionem nequam sibi faciendam esse judicaret; quamvis diligentius rem potuisset investigare. Hanc autem majorem sive extraordinariam considerationem ac diligentiam ad illam quaestionem conferre non tenebatur. Uno verbo, potuit, sed nullâ lege adstringebatur, eâ uti majori inquisitione. Eo tamen ipso quod potuit, ignorantia illa vincibilis dicenda est; siquidem invincibilis illa dicitur, quæ humano studio superari non potest. Postquam verò in plenariâ Synodo Ecclesiâ iteratum hæreticorum baptismum latâ lege damnavit, tunc extraordinaria diligentia, ac diligentior inquisitio fieri debuit, ut rationum Cypriani rebaptizantis falsitas exponeretur. Cùm enim plenaria Synodus ab Apostolicâ Sede approbata, sit in decernendo dogmate fidei infallibilis, rationes contra eandem fallibiles judicantur; ac proinde illarum falsitas Catholicis Doctoribus indaganda est. Hinc Augustinus ait, Catholicos plenarii Concilii auctoritate firmatos, rem diligentius considerasse: & ad diligentem inquisitionem tantâ Synodi auctoritate faciendam, revocatos. Quare post declaratam ab Ecclesiâ veritatem, non solum potuit, verum etiam debuit fieri major consideratio, ac diligentior investigatio, ut ignorantia veræ sententiæ, quam rationes illæ verisimiles Cypriani oppugnabant, à Christianorum mentibus pelleretur. Augustinus verò errorem intellectus Cypriani inde excusat, quod rationibus, quas veras putabat, in eam sententiam nondum ab Ecclesiâ damnatam, descendit. Et si quis illius ignorantiam non quidem simpliciter, & absolute, sed secundum quid ac relatè invincibilem dicat, nequam contentionis funem ducamus; siquidem Augustinus lib. 2. operis citati cap. 9. ait: *Quia consuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc sola opponeretur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.* Verum cùm ante decem versus ibidem dicat noluisse Cyprianum inquirendo amplius laborare, patet ignorantiam illam absolute vincibilem fuisse. At voluntatem ejusdem Cypriani à peccato immunem facit lib. 4. cap. 6. *quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Ecclesiâ;* quod laudatis aliis superiùs locis ac passim tradit. Nullâ ergo lege Ecclesiastica obligabatur Cyprianus à conceptâ semel opinione discedere, ac proinde sine culpa poterat suæ adhærere sententiæ, veritate non adum ascertâ ab Ecclesiâ. Hæcenus de Cypriano dicta sint, priusquam cum Sancto Stephano Papa pro sua erroneâ opinione contenderet. Nam post Sancti Stephani decretum major difficultas emergit, à qua in præsentia stylum abstinco.

Hanc ipsam excusationem ad Semipelagianos transfero. Cùm Pelagius totum, quod ad virtutem seu

opera bona pertinet, viribus liberi arbitrii adscriberet; & ex adverso S. Augustinus omnia virtutum bona divinæ gratiæ adjutorio deputaret, Cassianus ac sectatores Galli mediam viam tenentes, initia bonorum operum, sive desideria virtutum, ipsosque etiam inchoatæ fidei actus humanæ voluntatis viribus, nullo gratiæ adjutorio suffulta, fieri posse dicebant, quamvis divinum adjutorium ad eosdem promovendos, ac perficiendos necessarium esse faterentur. Hæc patent ex Cassiano Collat. 13. cap. 14. & 15. Fausto lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 10. & ex S. Augustino lib. de prædest. Sanct. cap. 2. Plura ad illum errorem confirmandum testimonia ex sacris literis, ac quasdam etiam rationes adducebant, quæ ipsis veræ videbantur. Neque illi cùm excellentioris scientiæ vulgò haberentur, credebantur ineluctabili, aut temeritate judicii, ac non potius magno ingenio ac vehementi studio laborasse, ut S. Augustini sententiam falsam esse monstrarent, uti scribit Prosper cap. 1. contra Collatorem. Itaque acre studio ac non mediocrem diligentiam adhibuerant, in suamet opinione stabilendâ, simulque opposita Augustini refellendâ. Cæterum cùm putarent suam sententiam esse veram, quæ tanquam falsâ & erronea postmodum ab Ecclesiâ damnata fuit, ea opinio de veritate suarum rationum ac inde deductæ sententiæ, derivabat ex ignorantia, qua laborabant; cùm rationes illæ essent sophisticæ ac paralogismi ex falsis præmissis falsam conclusionem inferentes. Jam quaeritur, an ejusmodi ipsorum ignorantia fuerit vincibilis, an potius invincibilis? Norisius asseruit ignorantiam illam fuisse vincibilem, quia non tantum studii ac diligentia impenderunt, quantum tantæ rei assequendæ necessarium erat. Nam S. Augustinus cap. 4. de Prædest. Sanctorum disertè affirmat, eos non curasse ex libris suis proficere, ex cujus curâ omissione orta est illorum ignorantia. Quis enim dicat, eos non potuisse curare ex lectione ac intensiori librorum S. Doctoris meditatione proficere?

Dices eas rationes ipsis uti veras apparuisse, quamvis non essent veræ in ordine ad objectum; sufficere autem ad ignorantiam invincibilem apparentiam relatum ad intellectum, cui rationes illæ veræ apparent. Verum in isto argumento ineluctabili, cui nullam hæcenus probabilem responsum invenire potuerunt. Qui Christianos persequebantur, putantes obsequium se eâ in re Deo præstare, profectò religio ac fides Christianorum illis falsa apparebat, quæ tamen absolute & respectu objecti erat vera. Hæc autem apparentia vera prout comparata ad intellectum persecutorum, non causabat in ipsis ignorantiam invincibilem; aliàs occidentes Christum ac Martyres, non peccassent. Unde cùm ignorantia vincibili tenerentur, consequens fit, ut omiserint tantam diligentiam, quantum & debebant & poterant veritati comparandæ impendere. Massilienses ac cæteri in Gallia multum diligentia in pervestigandâ verâ sententiâ de initio fidei gratuito, an potius naturali, collocasse concedam. Num verò tantam, quantum necessaria erat ad assequendam veritatem, adhibuerint, cùm res de facto sit, quemadmodum tu facillè affirmabis; ita æquè etiam facillè Norisius negare potest. Ut verò Augustinus dixit, se post decretum Synodi hæreticorum baptismum validum ac ratum definitis, coactum fuisse diligentiori consideratione in oppositas Cypriani rationes inquirere, cui majori considerationi, ac diligentiori inquisitioni habendæ S. Cyprianus antè laudatum plenarii Concilii statutum, nullâ

nullâ lege addicebatur, ita Doctores & Episcopi Galliæ antè confirmatam ab Apostolicâ Sede Synodum Arausicanam, nullâ lege Ecclesiasticâ adigebantur, ad diligentiam hæcenus ab ipsis adhibitâ majorem ponendam; ac proindè cum esset omisso rei, ad quam nullâ lege obligabantur, quæ indè consecuta fuit ignorantia, quamvis vincibilis, non reddebat eosdem peccati reos. Equidè S. Doct. in lib. de Prædest. Sanct. cap. 4. & 5. ex illo Pauli 1. Cor. 4. 7. *Quid autem habes, quod non accepisti?* opinionem Semipelagianorum aperti erroris convicit. Ibi ait se illis verbis convictum, cum similiter erraret. Adidit *claram* esse Apostoli intentionem, quam *evidentissimam* contrâ humanam superbiam vocat. Nihil Apostoli dictis tam *contrarium* quam adversariorum opinionem, quos ait *apertissimè veritati* contradicere. At illi oblectabantur veritati ab Augustino indicatæ, nondum tamen ab Ecclesiâ assertæ. Imò quæ apertissima veritas Augustino videbatur, illis falsitas judicabatur, quòd aliàs natura humana non posset nisi malum agere, ut arguit Cassianus Collat. 13. initio cap. 15. & Massilienses in Epist. Hilarii ad Augustinum, qui cap. 5. cit. idem argumentum acutissimè refellit. At ubi Synodus Arausicana can. 6. ex laudatâ textu Pauli deduxit initium fidei, ac ipsum velle credere, fieri in nobis ex gratiâ, accedente Sedis Apostolicæ approbatione, Semipelagianorum error damnatus fuit. Tunc intellectus per adversa spatia impudè ac libere antea vagatus, injecto à laudatâ Synodo fræno coercitus, ad Augustinianæ ac Catholicæ doctrinæ lineam redactus est; ultrâ quam sinè hæreseos notâ nequit excurrere.

## A N O N Y M U S.

„ **R**estat & modus alter tuendæ utcumque illorum sanctitatis, si probabilia saltem argumenta esse dicerentur, quòd ejurato deinde Semipelagianismo, Catholicæ fidei professionem palàm ediderint. At neque hoc cum Norisii ratiociniis potest consistere. Pag. 16.

## R E S P O N S I O.

**S**emipelagianorum sententia per annos centum fuit adiphora opinio licitè ac liberè citrà læsæ fidei crimen defensa; anno demum 529. damnata fuit. Haud igitur ulla necessitas incubuit intrâ illud sæculum ejurandi illius erroris. Ita sancti Episcopi Africani ab Agrippino usque ad damnatam ab Ecclesiâ rebaptizationem, suam opinionem licitè tenuere, cum ista questio nondum discussa, *nutaret*, ut ait Augustinus lib. 5. de Baptif. cap. 17. & lib. 3. c. 3. de Cypriano ait: *Noverat enim quantam sacramenti profunditatem tunc omnis Ecclesia variâ disputatione versabat, liberumque faciebat querendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur.* Rectè Thomassinus Dissert. 18. in Synodos num. 30. laudatis sanctis Hilario Arelatensi, Vincentio, Cassiano, aliisque ait: *Nec magnopere satagemus, an ante obitum acquirerint saniori doctrinæ.* Cum ad Arausicanæ saltem usque Synodi tempora inter Catholicos numerari non desierint. Idem tradunt Sirmondus, Raynaudus, Suarez, Labbeus, quorum jam testimonia laudavimus, quæ dum nihil novi dicis, sed eadem repetendo contradicis, invitus toties repetere cogor.

## A N O N Y M U S.

„ **U**ltimum argumentum affert Norisius, omnium, ut ipse putat, validissimum. Est autem

„ ejusmodi: Quòd si hæc Capitula Cœlestini essent, & à Sede Apostolicâ emanassent, nulla ratio superset, qua Faustus Rejenis, Vincentius Lirinensis, Hilarius Arelatensis, aliique Galliarum Episcopi, (Semipelagiani videlicet) ab hæresi excusari, & inter Divos connumerari potuissent &c. Hoc solùm nunc adverto, dum sic ratiocinatur Norisius, manifestè ab illo supponi Galliarum Episcopos, de quibus loquitur, Semipelagianismo non renuntiasse; alioqui sufficeret hæc abjuratio ad erroris maculam eluendam. Pag. 16.

## R E S P O N S I O.

**H**æres in eodem luto, dum ad maculam eluendam, abjuratorem erroris illis Episcopis necessariam putas. Epistola Cœlestini ad Episcopos Galliæ decem Capitula subjiciuntur, quibus Semipelagianorum errores damnantur. Norisius cum meliori sententiâ negat ea Capitula adscribi posse S. Cœlestino Papæ, qui obiit anno 432. quia alias Galliæ Episcopi qui postea opiniones Semipelagianas tenuere, fuissent hæretici, si in sententiâ persistere. Antelmius vir clarissimus Dissert. I. de vero Auctore Capitulorum, num. XIII. pag. 63. eodem argumento, quod, inquit, *oculatus Norisius proponit*, recitato ait: *Gravissimum quidem argumentum, telumque prævalidum, quod eos omnino transperberat, qui hæc Capitula ab Cœlestino emanasse tanto apparatu contendunt.* Tres alii Scriptores Galli idem argumentum ex Norisii Vindiciis mutuati sunt. Et ille quidem non tantum supponit, sed tanquam certum tradit Episcopos Galliæ non renuntiasse antè obitum Semipelagianismo, quia antè Synodum Arausicanam, erat res questionis, non dogmatis, quod toties repeto, ut vel semel intelligas. Erat controversia, quæ *sanctissimos & doctissimos UTRINQUE viros in Galliâ centum amplius annos exercuit*, ut ait Labbeus superius laudatus. Hinc Augustinus, Prosper, Cæsarius Arelatensis; illinc Hilarius Arelatensis, Cassianus, Faustus, Vincentius, aliique & quidem omnes inter Divos postea connumerati, contrarias sibi invicem sententias tuebantur, & Ecclesia eas contentiones liberè in centesimum usque annum agitari in Galliis præsertim, permisit, nihil alterutrâ sententiâ sectatorum sanctitati obnoxia.

## A N O N Y M U S.

„ **I**Taque hæc parenthesis illic à Norisio adjecta, *si in sententiâ persistere*, qua dubium relinquere videbatur, an non aliquando errorem deposuerint: hæc, inquam, Norisii parenthesis aut nullo modo est ad rem, sed aliud agenti excidit; aut hoc unum significare potest, fortè illos in extremo vitæ momento poenituisse erroris sui, nullo præter Deum hujus poenitentia teste ac conscio. Pag. 17.

## R E S P O N S I O.

**H**æc scribit Norisius cap. 8. Vindiciarum: *Si capita illa Cœlestini essent, & à Sede Apostolicâ emanassent, non video, qua ratione Faustus Rejorum, Vincentius Lirinensis, Hilarius Arelatensis Episcopus (si in sententiâ persistere) ac alii Galliarum Episcopi ab hæresi excusari possint, atque inter Divos, erectis aris, connumerari.* Est argumentum, uti vocant, ex hypothesi ac suppositione; tu vero in absolutum demutas, ut reprehensionem locum facias. Antelmius aliique qui Norisii dicta intellexerunt, vocant *argumentum gravissimum.* Nam si S. Cœlestinus

opinionēs Semipelagianorum Apostolico decreto damnatae; Hilarius, Vincentius, Cassianus, alique eandem poſtea aſerentes, hæreſes jam confixas defendiſſent; unde (*ſi in ſententiâ perſiſtere*) nulla apparet ratio, qua poſſent inter Divos connumerari. Illa parentheſis ad rem facit, ac conſultò, ſcienterque à Noriſio inſerta fuit; quia ſub illâ hypotheſi nullâ aliâ ratione illorum ſanctitas defendi poſſet, niſi aſerendo eos antè obitum à prædamaatâ hæreſi reſiſſiſſent. Concedas ſemel illa Capitula condita, ac publicata fuiſſe à Cœleſtino Pontifice in illâ ad Gallia Episcopos Epistolâ, undè poſtea poteris ſanctos Gallia viros ab hæreſeos formalis crimine vindicare? Num, ut unicè facis, ob ignorantiam invincibilem eorū excuſatos contendes? At illæ literæ fuerant encyclicæ ad ipſoſmet Gallia Episcopos ſcriptæ. Elogium in iisdem S. Auguſtino datum, Semipelagianum finiſtrâ interpretatione minuebant, teſte Proſpero cap. 42. contra Collatorem. Eaſdem citat in ſuo Commonitorio Vincentius. Non ergo eas literas, atque ea pariter capitula Galliani Patres ignorarent. Præterea Episcopos tenentur ſcire canones univerſalis Eccleſiæ, ac decreta contra hæreſes ab Apoſtolicâ Sede damnatas. Quare illorum ignorantia in Episcopis eſt peccatum, ſi contraria ſentiant, ac doceant. Dic ergo tu in datâ hypotheſi, undè Episcopos Gallia ab hæreſi excuſari queant, ut dein vitâ ſancti, in Divos referri poterint, niſi ob præmiſſam hæreſeos abjuratiōem? Præterea Episcopos Gallia Semipelagianis, quos memorat Bonifacius II. in Epistolâ ad S. Caſarium Arelatenſem, quam excuſationem prætexes, ne hæretici, ut dicunt, formales judicentur, ſi illa Capitula reapiſſe Cœleſtinum Papam auctorem habuerunt? Fruſtrâ confugies ad tuam illam invincibilem ignorantiam, quæ tuam potiùs ſupinam Eccleſiaſticorum canonum ignorantiam indicabit. Scribit S. Innocentius I. Pontifex ad Brutiorum Episcopos Epist. 5. *Eccleſiaſticorum Canonum norma nulli eſſe debet incognita Sacerdoti, quia neſciri hæc à Pontifice, ſatis eſt inderorum.* Ipſe Cœleſtinus Papa tertiam ad Episcopos Calabria & Apulia Epistolam exorditur: *Nulli Sacerdotum liceat ſuos canones ignorare.* Quod ipſum ſtatuens Synodus VII. can. 2. appellat verba Oſæ IV. 6. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

## S. IV.

*Quid ex his Noriſi aſſertionibus contra Eccleſiam inferri poſſit.*

**H**oſce paſſim titulos præfigit, quod Noriſium in invidiam vocet, cum tamen ea quæ inſert, nullâ prorsus ratione cum aſſertis ab eodem conveniant, ſed prorsus diſparata ſint & aliena, uti totâ hac apologiâ mihi demonſtratur. Enimverò hic objicit Noriſium ſcribere ſanctos Gallia Episcopos *perniciōſo errori adhaſiſſe, & quidè voluntariâ & inexcusablem pertinaciâ, ac malâ fide.* Ex his autem fingit Calvinianos Noriſiani libri Cenſoribus hocce argumentum obſectare.

## A N O N Y M U S.

**H**ic igitur permittite, à vobis quæram, Theologi ſapientiſſimi, quid poſthac reſpondere nos oporteat Calvinianis ita ex hoc Noriſii libro Romæ approbato argumentantibus &c.  
 Qui plurimis Auguſtini libris edocti, plurimis ejus diſcipulorum lucubratiōibus inſtructi, tamen pervicaces in Semipelagianismo perdurant; qui

tam multâ luce illatâ oculis obſtinatiſſimè claudunt, ne videant; illi aut malâ fide, aut ſaltem voluntariâ & affectatâ ignorantia pernicioſum errorem tuentur: ac licet palam extrâ Eccleſiam non ſint, tamen conſtat eos vel hæreticos eſſe reipſâ, vel formalibus hæreticis non multò meliores: tantum abeſt, ut Sanctorum titulo digni cenſendi ſint.  
 Atqui tales fuere tum Vincentius Lirinienſis, tum plurimi eodem ſæculo Gallicani Episcopos, quos Eccleſia Romana univerſa in Cœlitum numero ſemper habuit, publicèque coluit. Id enim de illis diſertè aſſertit, & probat Henricus Noriſius Romani Pontificis Probibliothecarius: cui ſuffragantur quinque graviffimi ex Urbe Theologi ad ejus libri examen ab Innocentio XII. nominatim delecti; imò ipſum Romanæ Inquiſitionis Tribunal, à quo illorum ſuffragium admiſſum, comprobatumque fuit.  
 Eſt ergo hoc velut publicum monumentum, quo Roma ipſa volens, nolens fatetur Eccleſiam Pontificiam in re graviffimâ, & ad ipſum Religionis caput ſpectante falli; ſubditosque ſibi populos in errorem inducere, dum colendos ejuſmodi homines illis proponit. Ad hoc ergo Hæreticorum argumentum, quid reponi jubetis Cenſores doctiſſimi? Major quidem Syllogiſmi propoſitio tota extrâ controverſiam eſt. Minor nihil habet, quod negari ab iis poſſit, qui Noriſianum librum ejuſque approbationem ſuſceperint. Conſequentiam autem, quoniam pacto reſellent? Pag. 18.

## R E S P O N S I O.

**H**ic tuo argumento doctiſſimi Cenſores nullam contra ſententiam, nullum verbum, nullam planè ſyllabam reponent; ſed unicam ſupponent litterulam  $\Theta$ , huic, inquam argumento, quod tam prodigus Calvinianis donati. Nullam autem tibi ejuſmodi notulâ rationem reddent, ſive ob majestatem conſeſſus, ſive ob ſecretum ſupremi Magiſtratus, cui conſultores aſſident. Ipſe tamen rationem, ſi me audias, gratis dabo. Illa tui argutiſſimi Syllogiſmi major propoſitio minimi valet, quam tamen tu tanti facis, ut dixeris: *tota extrâ controverſiam eſt.* Imò nihil in eâ, ut Ciceronis verbis utar in libro de Oratore, *in quo non aut res controverſiam faciat aut verba.* Loco vocis *pervicaces*, reponas *contentioſi*, ſi de Viris jam in Divos relatis ſermonem facis; pervicax enim dicitur, qui veritati jam ab Eccleſiâ aſſertæ contradicit. Scio S. Proſperum in Epistolâ ad Auguſtinum ſcribere: *Obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt.* Et poſt decem verſus: *Eò poſtremò pervicacia tota deſcendit.* Hæc ille, de quibus poſtea ſermo redibit. Cum verò ſubdis verba Noriſii tanquam Patrum Gallicanorum ſanctitati injuriōſa, nempe: *Qui tam multâ luce illatâ oculos obſtinatiſſimè claudunt, ne videant &c.* diſtinguo, licet homo ſimplex ſim, etiam dupliciter; *ne videant*, quod latâ ab Eccleſiâ lege videre, ac credere obligabantur, nego; quod nullâ tali lege credere tenebantur, concedo. Et iterum *ne videant* veritatem in Auguſtini libris indicatam, concedo; veritatem ab Eccleſiâ ſpeciali definitione aſſertam, nego. Addis: *illi aut malâ fide, aut ſaltem voluntariâ & affectatâ ignorantia pernicioſum errorem tuentur.* Multa falſa in exiguum periodum infercis. Illi nec malâ fide, nec malo dolo, neque etiam voluntariâ & affectatâ ignorantia eam opinionem defendebant: ſed ignorantia indirecè voluntariâ, quippe qui non eam diligentiam, ſtudium, ac ſolicitudinem adhibuerunt, quanta

quanta tantæ veritati asequenda impendenda fuerat. Non erat error ille antè latam ejusdem ab Ecclesiâ damnationem, sanctitati perniciosus, sed cum eadem componebatur, ut S. Augustinus de errore Cypriani hæreticos rebaptizantis, iocis à me laudatis, asseruit. Inde erras, quòd ignorantiam dividis in invincibilem, ac vincibilem; illam verò semper inculpatam: hanc verò semper culpabilem ponis, camque supinam vel affectatam affirmas. Nam ignorantia vincibilis si sit eorum, quæ nullâ lege scire obligamur, non est peccatum, neque ab eodem subiecto sanctitatem excludit, ut pluribus ostensum est: Denique erant illi in Ecclesiâ, ac quidam summo in eadem loco populis præsidebant, illos sic describente Prospero: *Quia multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper summo sacerdotii honore supereminent.* Quod denique dicis: *tamen constat eos vel hæreticos esse reipsâ, vel formalibus hæreticis non multò meli ores:* verba sunt hominis antè tempus homines judicantis. Cum enim ipsorum opinio non fuerit damnata tanquam hæretica nisi post annos centum ab obitu S. Augustini, nulli asertæ ab Ecclesiâ veritati contradicebant; imò palam, *ea tantummodò sequi & probare proferebantur, quæ sacratissima beati Apostoli Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit & docuit.* Cap. 3. Epistolæ Cœlestini astuto. Constat modò inter eruditos opiniones Semipelagianorum damnatas fuisse Arausicæ anno 529.

Agedum, mi Doctor, qui argumentum, uti putas, ineluctabile Calvinianis procedis, defende, si potis es, Hilarium Arelatensem, ac Faustum Rejensem ac Calvinianorum calumniâ. Non est, inquit, sanctus qui docet hæresim; atqui Hilarius aliique in Galliâ Semipelagianam hæresim docuerunt, non igitur illi sancti sunt. Majorem ac Minorem propositionem distinguis, ut sanctus sit qui ex ignorantia invincibili hæresim quampiam docet; non autem si ex ignorantia vincibili hæresim tradit. Hic à jure, ut inquit, saltas ad questionem facti. Instabunt Calviniani. Cum tu post annos ab illorum ætate mille ducentos & quod excurrit, inter homines ambules, ac scrupulos scribas, undè habes illorum ignorantiam invincibilem fuisse? Respondes in hac tuâ passim opellâ, quia cum Sancti sint, non possunt à culpâ hæreseos excusari nisi beneficio ignorantia invincibilis. At, d' bone, inquit Calviniani, petis principium. Nam questio erat, an illi reapse sint Sancti; & respondisti, laborasse illos invincibili ignorantia, cujus rationem assignans, quia aliâ non essent Sancti, circulum facis, ac petis principium. Calviniani negant ignorantiam invincibilem excusare à peccato formali, ad quos etiam Janseniani accessere. In præsentia Calviniani quærent, undè scias, illorum ignorantiam fuisse invincibilem? An verò ob illam à culpâ excusari possint, te remittent ad disputandum eâ de re cum Jansenianis. Præterea urgebunt: Undè scis illos ad verum asequendum, adhibuisse omnem diligentiam quam & debebant, & poterant impendere? Dices in re facti, te ita credere; quia aliâ non essent Sancti. Et iterum petis principium. Ad hæc, inquit illi: Uti ad concupiscentias, quas nostris viribus coercere non possumus, superandas, debemus implorare auxilium Dei, ita ad idem auxilium recurrendum est, ut vincamus ignorantiam, quam nostro studio depellere non possumus. Putasne Semipelagianos humano studio ac diligentia addidisse etiam preces, ut illustrarentur à Deo? Profectò affirmabis, quia haud secus, inquit, de Viris sanctis cogita-

re licet. Ita semper argumento Calviniano non nisi principium repetendo, respondes. In hos te casses jactata tibi ignorantia invincibilis adegit. At Norisius haud hæc retribus illaqueatur. Negat ille Hilarium aliosque Viros sanctos hæresim docuisse, quia ea opinio nondum erat hæreseos damnata ab Ecclesiâ. Expedite, promptè, uno verbo, Calvinianæ objectioni satisfacit. I nunc, ac clama, & reclama: *Major quidem Syllogismi propositio tota extrâ controversiam est.* Videtne quàm tota malè materiata sit, ut quod reliquum super extruxisti, non tantum titubet, sed labascet prorsus, ac corruat? Hæc olim Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 9. scripsit: *Necessarios articulos sermonis tui, quantum me adjuvat Dominus, comprehendendo, atque confringo, ut totum corpus victum jacere conspiciat, qui & illa tua, & hæc nostra perlegit.* In Minori magni tui argumenti propositione, ut prosopeopæjam tam elegantem, tam concinnam, tamque causæ accomodatam impleas, non modò Censores, verum etiam tremendum Catholicæ fidei desertoribus Tribunal, ipsumque adoratum Orthodoxo Orbi Summi Pontificis nomen levissimis tuis hæc scrupulis ullo sinè temeritatis scrupulo immises. Idem Augustinus Epist. 162. narrat Donatistas cum in Romano judicio cecidissent, dixisse: *malos judices se esse perpestos, quæ vox est omnium malorum litigatorum.* Quid in illo secretiori judicio peractum fuerit, nescio. Hoc tamen scio, Norisii librum libere lecitari.

## A N O N Y M U S.

„ET verò, addent Calviniani, quod causatur  
 „Norisius, Semipelagianismum illo sæculo non-  
 „dum inter hæreses fuisse computatum ab Ecclesiâ,  
 „si quid valet ista ratio, eò tantum valet, ut dica-  
 „mus, Semipelagianos antè Concilii secundi Arau-  
 „sicani definitionem nondum fuisse hæreticos, eo  
 „sensu quo hæreticus appellatur qui errorem expre-  
 „sè ac solemniter totâ Ecclesiâ proscriptum, tueri  
 „pergens, vel segregavit se ipse, vel ab illa eje-  
 „ctus fuit. Fac igitur Vincentium Lirinensem ac  
 „ceteros nequaquam eo sensu hæreticos fuisse, id  
 „est, ab Ecclesiæ communionem extorres: quid hoc  
 „proderit ad vindicandam illis sanctitatem, nisi si-  
 „mul ostendas eos nec malâ fide, nec culpabili ob-  
 „stinatione ad hunc errorem adhæsisse? Certè cum  
 „foret hic error ex se utique Christo injuriosus, ac  
 „moribus noxius: nulli potuerunt inter Semipela-  
 „gianos veniâ digni esse, nisi invincibiliter, hoc  
 „est, inviti & sinè culpâ ignorarent tale dogma re-  
 „verâ Pelagianæ hæresi connexum, & fidei Catho-  
 „licæ inimicum esse. Pag. 20.

## R E S P O N S I O.

JAm satis superque demonstratum est, insignes illos Episcopos & Doctores non malâ fide, sed inculpatâ ignorantia, eas opiniones secutos fuisse, quarum assertio nullâ adhuc latâ per Ecclesiam lege damnata erat. Id illi negabant, quod nullâ lege affirmare obligabantur. Ea verò peccato vertuntur, quæ lege prohibentur. Apostoli sunt verba in Epistolâ ad Romanos cap. V. 13. *Peccatum autem non imputatur, cum lex non esset.* Et cap. VII. 7. *Sed peccatum non cognovi nisi per legem.* Equidem videris mihi omnium scrupulorum scrupulosissimus. Qui enim scrupulis punguntur, suspicantur, quidpiam se minus divinæ legi conformiter egisse. At tu peccatum grave ac enorme, gratiam ac sanctitatem ab animâ excludens, in eo esse existimas, quod nec divinâ nec

Ecclesiasticâ lege vetatur. Augustinus lib. 5. de Baptif. cap. 2. de errore. S. Cypriani ait: *Id erratum cooperiebat unitatis charitas, quamdiu inerat ista, non Diabolica diſſenſio, ſed humana tentatio, donec eis, ſicut dicit Apoſtolus, ſi quid aliter ſapiebant, Dominus revelaret.* Eadem verba Apoſtoli ad Philippenſes 3. habet de Semipelagianis cap. 1. de Prædeſt. Sanctorum: *Retenta ergo, inquit, iſta, in qua pervenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore diſcernunt. Proinde ſi in eis ambulent, & orent eum, qui dat intellectum, ſi quid de prædeſtinatione aliter ſapiunt, ipſe illis hoc quoque revelabit.* Et lib. 2. de Bapt. cap. 5. *Ited dicit Apoſtolus: Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Humanum eſt ergo aliquid aliter, quàm re ſe habet, ſapere. Propterea dicit alio loco: Quot ergo perfecti hoc ſapimus; & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Error Cypriani tunc erat error innocuus. Ejuſmodi fuit error Semipelagianorum; non enim fuit injurius Chriſto, quia illum nondum Chriſtus Dominus per Eccleſiam damnaverat. Illi quidem humanâ tentatione correpti, aliter quàm re ſe habebat, ſapiebant, cum id nondum Deus revelaflet. Nihil hic faciunt ignorantia vincibilis aut invincibilis; ſed utrùm antè annum 530. fuerit decretum Sedis Apoſtolicæ Semipelagianorum opinionem condemnans. Cum autem nulla talis lex extiterit, nulla quoque erat rima, per quam peccatum irrumperet; ac proinde nullus veniæ locus eiſdem erat neceſſarius. His Auguſtini verbis lib. 4. contra Jul. oper. imperf. num. 46. concludo: *Si non vis intelligere, aut ſi te fingis non intelligere, noli obſtrepere valentibus, & valentibus intelligere.*

## A N O N Y M U S.

„ **A** Tqui ejuſmodi ignorantia excuſationem in  
 „ Vincentio, & in illis Epiſcopis non admit-  
 „ tit, imò ex profeſſo refellit Noriſius, & iſdem  
 „ affectatam prorsùs ac malæ fidei cæcitatem attri-  
 „ buit. Ergo quantumcumque ab hæreſis formalis  
 „ notâ immunes faciat, tamen quæ de his aliunde do-  
 „ cet, ipſos procul à ſanctitate abſuiſſe ostendunt.  
 „ Ita reſpondentem Calvinianum quomodo refelle-  
 „ ret Noriſius? Pag. 20.

## R E S P O N S I O.

**U** Binam, quæſo te, Noriſius Patribus Gallicanis affectatam & malæ fidei cæcitatem attribuit? Negavit illos laboraſſe ignorantia invincibili. At ignorantia vincibilis orta ex eo, quod non tanta diligentia collocata fuit ad investigandam veritatem, quanta poterat fieri, non eſt affectata, ac malæ fidei cæcitas, ſed neſcientia ejus, quod ſcire nullâ adhuc lege obligabantur; ac proinde eſt immunis à culpâ, quæ ſemper lege vetatur. Augustinus lib. 2. de Baptif. cap. 4. cum dixiſet controverſiam de rebaptizandis hæreticis, *tantis altercationum nebulis involutam, multis hinc atque hinc diſputationibus, & collationibus pertractatam, ad plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perductam fuiſſe, addit: Hoc autem facit ſanitas pacis, ut cum diutius aliqua obſcuriora quaeruntur: & propter inveniendi difficultatem, diverſas pariunt in fraternâ diſceptatione ſententias, donec ad verum perveniat, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præciſâ remaneat inſanabile vulnus erroris.* Ita antè Synodum Arauſicanam à Bonifacio II. confirmatam, controverſia de initio fidei aliſſque, diverſas pepererat in Galliâ in frater-

nâ diſceptatione ſententias, donec eæ difficultates multis hinc & hinc diſputationibus pertractatæ, ad veritatem in Arauſicanâ II. Synodo deduxerunt. S. Augustinus ſuam ſententiam ad eodẽ certam cenſebat, ut lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 5. dixerit, *adverſarios profeſſio contradicere apertiſſimæ veritati.* At illi oppoſitam ſententiam tanquam veram tuebantur, quæ tamen erronea poſteà ab Eccleſiâ declarata fuit. Utrùm verò hi adhibuerint omnem quam poterant, diligentiam in verâ ſententiâ indagandâ, eſt quæſtio facti, cujus cum conjecturæ tantum excogitari poſſint, miror te tantum roboris in ignorantia invincibili poſuiſſe. Jam ſuperius ex cap. 4. de Prædeſt. Sanctorum, probavi fuiſſe vincibilem. Præterea diligentia ad aſſequendam veritatem, minuitur affectu erga præconceptam opinionem, ac propriam ſectam. Nam qui jurarunt in aliquam opinionem, verſant, exempli gratiâ, libros S. Auguſtini, non veritatem, ſi forte ibidem occurreret, ultrò amplexaturi, ſed quò S. Doctorem etiam oborto collo ſuam in ſententiam trahant, ut Augustinus ipſorum potiùs diſcipulus, quàm magiſter eſſe videatur. Cum aureus liber S. Doctõris de correptione & gratiâ in Gallias delatus fuiſſet, uti qui Auguſtini doctrinam ibidem ſequerentur, *intelligentiores multò inſtructorſque ſunt facti; ita qui perſuaſionis ſuæ impediabantur obſcuro, averſiores, quàm fuerant, receſſerunt,* uti ſcribit Proſper in literis ad S. Doctõrem. Ita perſuaſio, ut ſuperius notabam, id eſt, ſtudium erga ſemel imbibitam ſententiam, eoſdem longiùs à veritate trahebat, nec ſinebat illos omni ſtudio procul ab amore & odio, veritati indagandæ inſiſtere. Hoc ſtudio partium rationem nonnihil obtenebrante, factum eſt, ut quidam eorum libros S. Auguſtini legerent, *ut meſuras ſenſuum, pondera locutionum, numeros ſyllabarum inſidioli ſcrutatorſque eventilarent, magnumque ſe aliquid conſpicere præſumerent, ſi Catholico prædicatori notam erroris aſſigerent;* ut ait idem S. Proſper contra Collatorem cap. 1. Hæc iterùm inſtrà validiùs urgebo. Quare affectu erga ſuam ipſorum ſectam, & averſione ab Auguſtini doctrinâ factum eſt, ut legendis, ac attentius conſiderandis S. Doctõris ſententiis, non tam diligenter incurberent, ut majoris diligentia omiſſio eorum ignorantiam redderet indirectè voluntariam, ſimulque vincibilem; quamvis eſſet inculcata eò quod eſſet rei, quam nullâ adhuc lege credere tenebantur.

## A N O N Y M U S.

„ **D** icent aliqui fortè pro Noriſio præſumi de illis  
 „ poſſe, quod imminente morte Semipelagia-  
 „ niſmum ejuraverint, erroremque ſuum penitentia  
 „ eluerint; proinde nihil obſtare ex hac parte quo-  
 „ minùs eos Eccleſia ob reliquas ipſorum virtutes in  
 „ cœlitum album referre potuerit. Pag. 21.

## R E S P O N S I O.

**D** Um ais, dicent aliqui fortè, neſcis quid reape alii dixere. Hæc dixit eruditiffimus Thomafimus in Diſſer. XIII. in Synodos num. 30. *Nec magnopere fatagemus, an antè obitum acq̄uerint ſaniori doctrinæ. Cum ad Arauſicanam ſaltem uſque Synodi tempora, inter Catholicos numerari non deſierint.* Hæc ille pro Noriſio ſcripſit. At tu vincibili ignorantia neſciens quid alii ea de re jam antè pronuntiarunt, fingis quid alii poſteà ad Kalendas Græcas dicturi ſint; ac dudum ſcripta ignorans, ſcribenda divinas.

A N O N Y M U S.

„**S**ed hac ratione reponunt continuè hæretici, & „ Origenes, & Rufinus, & Theodorus Mopsue- „ stenus, & Theodoretus, aliique hujusmodi plu- „ res, quorum scripta ab Ecclesiâ damnata sunt, „ possent nihilominus, ac deberent ab eadem Sancto- „ rum titulo decorari &c. Quod si iatis est id præsu- „ mi posse, quid erit, cur utrosque pariter Sancto- „ rum numero adscribere nequeat Ecclesia? Pag. 21.

R E S P O N S I O.

**H**æc ex ignorantia vincibili scribis de Theodoro Mopsuesteno, cujus non tantum scripta ut Theodoretus, verum etiam personam Ecclesia in Synodo V. damnavit. Gregorius Magnus lib. 2. Epist. 36. ad Episcopos Hiberniæ scribit: *Nam in Synodo, in qua de tribus Capitulis actum est &c. de quibusdam illic solummodo personis est attributum: quarum una, cujus scripta evidenter à rectitudine Catholice fidei deviant, non injustè damnata est; nempe Theodorus Mopsuestenus.* Norisius in Dissert. de Synodo V. cap. 9. §. 5. in inscriptione laudatæ Epistolæ *Isriæ pro Hiberniæ* legendum dixit, quod nulli fuerint tumultus in Hiberniâ de tribus Capitulis. At scito eundem errorem emendasse lectâ Epistolâ S. Columbanî tom. XII. edit. postremâ Bibl. PP. à pag. 29. Inde enim discimus Hibernos cum eodem Colombano contra Synodum V. pro tribus Capitulis stetit. Equidem de eodem Theodoro reapte id præsumendum esse contendebat Facundus Hermianensis lib. 10. cap. 4. Cæterum tam falsò illius antè obitum respicientia præsumitur, uti tu præsumis illorum Galliæ Doctorum ignorantiam fuisse invincibilem. Quod enim tibi oraculum revelavit, eosdem omnem quam poterant, diligentiam impendisse ad veram sententiam indagandam? Id colligis ab assertâ illorum sanctitate. An non hoc est præsumere? Tam enim incertum est, num in extremo vitæ respuerint, quam an omnem quam poterant, diligentiam adhibuerint, in veritate indagandâ. Utraque est res facti. At eorum poenitentiam contendis præsumptam. Ecur non æquè præsumpta dici possit illorum ignorantia invincibilis? Enimverò nihil dubium Norisius præsumens, id tantum quod certum est, sumit, videlicet eam opinionem ad Synodum usque Arausicanam fuisse adiaphoram, ac inter Catholicos licitè controversam, quâ ratione illorum etiam sanctitas, ut inquirunt Logiæi, à priori defenditur, quam tu ignorantia invincibilis præsumptione tueris.

A N O N Y M U S.

„**S**i qui Faustum vel Cassianum pro sanctis habent, „ idcirco tantum facere, vel quod Semipelagia- „ no errore inquinatos re ipsa fuisse negant, vel quod „ bonâ fide, & absque culpâ, per invincibilem igno- „ rantiam, scilicet, eos errasse putant; vel quod reje- „ ctò demum errore, Catholicam veritatem publicè „ professos esse, sufficienter probatum supponunt. „ Qui verò & Semipelagianos fuisse, nec ignorantiam „ invincibilem his suffragari, nec ullum respiscen- „ tiæ illorum argumentum extare confessus &c. eos „ nihilominus sanctorum cultu dignos esse defenderit, „ neminem hætenus vidimus. Pag. 22.

R E S P O N S I O.

**S**i eâ de re insignium Doctorum scripta consuluis- ses, planè didicisses virum doctrinâ æquè ac di-

gnitate Eminentissimum, uti & Sirmondum, Tho- massinum, Raynaudum, Labbetum, Cellotium, Antelmium aliam à tribus abs te numeratis, viam tenuisse, in Gallorum Patrum sanctitate defendendâ. Antelmus Dissert. 1. pag. 2. laudat superius operis n. 15. ait: *Atque cum sit omnium assensione firmatum judicium, NOSTRORUM fidem ante Synodi Arausicanæ celebrationem, in jus vocari non potuisse.* Ita Vir eruditus modum, quo egregiè Norisius illorum sanctitatem defendit, *omnium assensione firmatum judicium* appellat. Tu horum omnium neminem hætenus vidisti. Rem scio. Longius ab illis habitas. Utrum autem ob ignorantiam vincibilem, vel potius invincibilem illorum neminem hucusque videris, ipsemet judicato, qui tam benè utramque ignorantiam noris, ut Norisio indè litem intendas, ac crimen impingas.

A N O N Y M U S.

„**N**on ita cum de his agitur sanctis, quos ad pu- „ blicam totius Orbis Christiani veneratio- „ nem Martyrologio Romano inferi, & quotannis „ inter sacra Officia appellari jussit. Ecclesiâ „ universalem erroris accusat in re capitali, qui ta- „ libus aliquid imputat, quod eorum sanctitatem „ vel incertam efficere possit: quanto magis si quid „ adstruat, quod illam penitus excludat. Pag. 23.

R E S P O N S I O.

**J**am hunc scrupulum radicibus evulsi. Ignorantia sive invincibilis sive vincibilis ejus, quod quis scire nullâ lege tenetur, est error innocuus, ac potest cum sanctitate eidem subjecto inexistere. *Qui errat circa id, quod scire non tenetur, ex sua conscientia absolvitur.* Est sententia Theologorum cum S. Thoma quæst. 17. de verit. artic. 3. ad 4. Talis fuit error Semipelagianorum ad annum usque 530.

A N O N Y M U S.

„**Q**uid enim juvat hæresis crimine illum (nem- „ pè Vincentium Lirinensem) absolvisi; aliun- „ de simulationis, fraudolentiæ, malignitatis, & „ quod amplius est, atroci calumniæ in sanctissimos „ Ecclesiæ defensores, atque apertè in sanctam Sedem „ contumaciæ reus teneatur? Imò quis affirmare ausit „ non nisi bonâ fide illum errasse, qui tam malè fi- „ dei in rebus gravissimis fuisse convincatur? Atqui „ hæc ipsa est quæ à Norisio adumbratur Vincentii „ Lirinensis effigies. Pag. 23.

R E S P O N S I O.

**S**uperius à pag. 167. adducta sunt testimonia insignium Scriptorum, qui disertè tradunt in Commonitorio Epistolam Cælestini contra ipsi summet Prosperum argutâ arte detorqueri. Nam Pontifex dicit, *Desinat, si ita res sunt, incesse novitas vetustatem.* Repeto unius Christiani Lupi de Vincentio sententiam tom. IV. in Synodos pag. 758. *Ostendere, inquit, conatur, non Augustini, sed suorum dogmata esse avita, idèdque hæc, non ista per Cælestinum fuisse comprobata. Epistolam quod impugnari non posset, ita placuit detorqueri.* Norisius hoc tantum scripsit lib. 2. Hist. Pelag. cap. 11. Vincentium Cælestini literas argutè interpretatione contra Augustini discipulos detorquerè. Hoccine est Vincentium simulationis, fraudolentiæ, malignitatis, atroci calumniæ, atque aperta in S. Sedem contumaciæ reum peragere? sententiam Cælestini approbat, ut alii indè colligerent suorum dogmata approbari, quæ in veterum Pa-

trum



trum libris legebantur; cum Augustinus novam de prædestinatione sententiam invexisse à Massiliensibus diceretur. Hinc Prosper ad S. Doctorem scribebat; *Itad etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demones, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt &c.* Quam novitatis invidiam abs se amovere conatur S. Pater in Libro de Prædest. Sanctorum cap. 14. & in altero de Dono persever. cap. 19. & 20.

## A N O N Y M U S.

» CUM de aliquo in Sanctorum album referendo agitur, hoc primum inquiri solet ab Ecclesiâ, sincerusne fuerit; ac si res incerta sit, haud ultra proceditur. Quid Vincentio nostro fieret, si informante Norisio, iudicium de illo haberetur? Pag. 23.

## R E S P O N S I O.

NORISUS tradit Vincentium docuisse homines suis viribus posse querere, pulsare, petere, ac velle credere, cum ea opinio licite defendi potuit, re nondum ab Ecclesiâ definitâ, quàm sententiam fuisse insignium Theologorum jam didicisti. At tu Hilarium Arelatensem aliosque Sanctos, qui memorata opinioni adhasere, excusas ob ignorantiam invincibilem. Verùm huic abs te allatæ excusationi iudices reponerent, rem esse facti, num illi omnem, quam & debebant, & poterant, diligentiam veritati assequendæ impenderint. Et cum occulta mentis haud potis sis penetrare, hærebit tibi aqua; ac id te pie de bonis alioqui Viris credere autumabis, quæ debilis planè contestatio viri post duodecim sæcula ab illorum morte viventis, reputabitur. Michael de Elizalde acutissimus Theologus par. 3. de rectâ doctr. morum lib. 7. quæst. 7. in fine §. 1. si de aliquo, de quo in Divorum album referendo tractaretur, constarent legum obligantium violationes, neque constaret peracta poenitentia: *Allegares tu sanè acutè, inquit, eum invincibiliter ignorasse, cum extitisse naturâ yudem, rem sciendam esse difficilem: violationes materiales sanctitati nihil obesse &c.* Haud opinor, divino, si dixero, te canonizationem nunquam consecuturum. Videlicet, in quem dubium locum Gallicanorum Patrum sanctitatem committis, dum ejus defendendæ rationem ab unâ ignorantia invincibili deducendam esse contendis? An fortassis Vincentium sinceritas in detorquendo Epistolæ laudatæ sensu, defecit? At ille sincerè S. Cælestini verba recitavit. Verùm num Augustiniana doctrina conformis esset anteriorum Patrum sensui, an verò diversa, nihil desinivit ibidem Pontifex, eratque id ipsum in controversiâ Augustinum inter ac Gallicanos Doctores. Quare ex sententiâ Cælestini sincerè relatâ, acutè ac subtiliter eandem contrâ adversarios detorsit. Ubi anno 1667. publicatum fuit in Belgio Alexandri VII. decretum, quo vetabatur, ne disputantes de sufficientiâ Attritionis ex solo metu gehennæ vel de necessitate aliqualis dilectionis Dei, ullam sibi invicem notam inirent, utraque litigantium pars idem decretum sibi favorabile prætexuit; ac utraque id sincerè se facere iudicavit.

## A N O N Y M U S.

» VOS, sapientissimi Theologi, cogitate quæ futura sit opinio, non jam dico hæreticorum,

» sed totius Christianæ plebis, de Ecclesiâ Catholice Sanctis, si audiat unum ex illorum numero, cuius insigne elogium inter sacra Officia quotannis recitari audierat, hominem fuisse mendacem, subdolum, maledicum, & Sanctorum calumniatorem, cuius tamen nullum extat poenitentiae vestigium: Hæc esse quæ in mediâ luce Urbis Romæ de illo docet famosus scriptor, Pontificiæ Aulæ minister, suffragantibus quinque Censoribus ab ipsâ delectis, Sede Apostolicâ: quod nihil aliud est, quàm eodem ore inter Cælestes referri, quo inter scelestos collocatur. Pag. 24.

## R E S P O N S I O.

NULLA planè ejusmodi acerbior nota S. Vincentio Lirinensi à Norisio inuritur. Illa autem sunt epitheta quibus S. Prosper variis locis Catholicos Gallos Augustinianæ doctrinæ adversarios perstringit. Cum enim inter viros alioquin pios, sed nondum humanis tentationibus immunes, contentiones erumpunt, æstu disputationis abrepti, amarulentis non semel sese invicem, dictis excipiunt, ut S. Epiphanius, Hieronymus, & aliorum exemplis ostendit Cardinalis Baronius ad Annum 412. cuius verba pag. 159. recitavi. Hæc prolixè, ut superius notavi, prosequitur Thomassinus Dissert. 13. à num. 22. ac tandem num. 30. concludit: *Ergo si de Hilario Arelatensium Episcopo, si de Vincentio, si de Cassiano &c. acerbis quid aliquando excidit magnis Viris, id æqui bonique consulendum est, & in doctrinam, in quam incautè & per simplicitatem incurverant, non in personas refundendum. Ita fiet ut non invidiamus, non obtrectemus spectata eorum complurium sanctitati, cui Augustinus & Prosper ipsi applaudebant. Nec magnopere satagemus, an ante obitum acquirerint seniori doctrinæ; cum ad Arausicanam saltem usque Synodi tempora, inter Catholicos numerari non desierint.* Hæc vir eruditissimus, quæ omnes illatæ accusationis particulas ita infringunt, ut nec exactior nec solidior, nec denique brevior apologia desiderari possit. Ita antequam Norisius scriberet, omnia illa confutata erant, quæ tu post annos viginti sex quasi nova objecta producis, ac Censoribus sapientissimis expendenda proponis. Ego illorum nomine te remitto ad laudatam Thomassini Dissertationem unâ cum aliis pluribus editam Parisiis anno 1667. Quæso te, num libros, aut quos aliquando legas? Nescis enim quid hisce de rebus Sirmundus, Thomassinus, Labbeus, Antelmus totque alii in Galliâ Scriptores in hac ipsâ causâ pronuntiarunt, cum tamen eorum volumina in ore famæ, & in oculis Eruditorum versentur, in quibus omnibus unus tu hospes es ac peregrinus.

## A N O N Y M U S.

» NEMO vestrum ignorat, Reverendi admodum Patres, Traditionis hostes Lutheranos & Calvinianos, cum se tanti viri auctoritate rationibusque validissimè premi cernerent, ad illam calumniam confugisse, quod Semipelagianus fuerit Vincentius Lirinensis, & quod in Semipelagianorum gratiam Commonitorium suum scripserit &c. Itaque nihili faciendum Vincentii testimonium: quippe qui non nisi in favorem Semipelagianismi pro antiquitate certaverit; nec magis illi de Traditione differenti, quàm de Gratiâ, credendum. Pag. 25.

RES.

R E S P O N S I O.

Qui Catholicorum eorumque recentium Auditorum libros ac sententias adeo supinè ignoras, Lutheranos ac Calvinianos scriptores appellas. Num horum testis de visu, an de auditu potius venias, nescio. Cum enim te fingas Doctorem Sorbonicum, ac tot Catholicorum Scriptorum libros ignores, juratus affirmare ausim, te nullum Protestantium volumen ne dum legisse, sed quòd adèd scrupulosus es, ne quidem nigro obductas cooperulo fugitivis obtutibus vidisse. Faciam tamen abs te coactus, ut intelligas, quid illi de Commonitorio S. Vincentii Lirinensis sentiant. Centuriatores Magdeburgenses Centuriâ V. cap. 10. hocce iudicium de Vincentii libro pronuntiant: *Quòd si quis diligentius pensabit, dicit scriptum esse eruditum & acutum, quòd de hæreticorum fraudes clarè in apertum producat, detegat, & impugnet; quin & præsens valde remedium & antidotum quasi contra eorundem venena ministret, in quo ipsius Scriptoris vis elucet, & doctrina ipsius magnitudo.* Et antea de Vincentio dixerant: *Non solum docendo, sed etiam scriptis Ecclesiæ profuit.* Hisce laudibus Commonitorii Auctora Lutheranis excipitur.

Georgius Calixtus ejusdem sectæ Scriptor, tanti Commonitorium fecit, ut illud unà cum libris S. Augustini de Doctrinâ Christianâ, semel & iterum imprimendum curaverit, additâ satis proluxâ præfatione, quam jure de Vincentii opere panegyrim dixeris. Hæc ibidem pag. 28. scribit: *Diximus sub exordio huius præloquii, Commonitorium Vincentii tantopere à doctis tum nostrarum, tum Pontificiorum partium Viris laudatum, ad Academicam, quam vocamus, Theologiam potissimum pertinere, & quomodo historiâ Antiquitatis Ecclesiasticæ rectè utendum sit, ostendere.* Idem Calixtus in libro de Arte novâ &c. Francofurti Anno 1652. pag. 2. ait: *Triennium nunc est, & paulò amplius, quum in gratiam & usum juventutis nostræ, præsertim Academicæ, è meo recens instituto typographico prodierunt S. Augustini de Doctrinâ Christianâ libri, & Commonitorium Vincentii Lirinensis, unà cum meo proæmio, quo paucis ostendo, quomodo quæ exiguo illo, sed eximio & hæcenus omnium voce suffragiisque approbato libello traduntur, decidendis, & finiendis controversiis, quæ &c.*

Joannes Henricus Hottingerus in Bibliothecario quadripartito pag. 217. Tigurinæ edit. 1664. de Commonitorio Vincentii Lirinensis ait: *Non displicet nostris: unde & ab iis editum. Neque enim quod adversarii Pontificii tantum in eo præsidii collocant, propterea sua cause metuumt, ut ex Calixti editione patet &c.*

Casaubonus in notis ad Epistolam D. Gregorii Nysseni ad Eustathiam &c. pag. 118. scribit: *Præclarè Vincentius Lirinensis in aureolo libello: Adnuntiare aliquid Christianis Catholicis præter id, quod acceperunt, nunquam licuit; nunquam licet; nunquam licebit.*

Barthius lib. 18. Advers. cap. 7. cum titulo: *Vincentii Lirinensis laus &c.* pag. 903. ait: *Commonitorium Vincentii Lirinensis nunquam homini Christiano deponendum manibus putem; imò instar quotidiani Euchiridii circumferendum, ut solidum beatitudinis nostræ documentum, eleganter & nervosè literis ab eruditissimo homine signatum &c.* Et lib. 25. cap. 2. pag. 1215. *Vincentius ita in Commonitorio, divino libro.*

Hugo Grotius in discussione Apologetici Rivetiani, tom. 3. oper. Theolog. pag. 681. edit. Amstelod. A. 1679. ait: *Vincentium Lirinensem & ejus regulas laudaverant, & sequendas monstrarant, non Rex tantum Bri-*

*tannia, & cum eo Casaubonus (ambo erant hæretici) in Epistolâ ad Cardinalem Pevronium, sed & Georgius Calixtus magna eruditionis & famæ Helmsstadiensis Theologus, qui & eum dignissimâ legi Præfatione librum illum edidit, & inter Anglos Rainoldus colloquio cum Harzo &c. Marcus Antonius de Dominis, Fridericus Ulricus Calixtus, Osiander, alique Heterodoxi summâ cum laude de Commonitorio loquuntur.*

At Protestantes & Calviniani, qui Patrum traditione abdicatâ, unam tantum sacram Scripturam tanquam solam credendorum regulam infallibilem appellant, Commonitorium S. Vincentii rejiciunt. Id duo præsertim Calviniani executi sunt, Rivetus ac Dallæus; nec mitius exceptus est Vincentius à Blondello in libro de Primatu in Ecclesiâ, Gallicè scripto, qui à pag. 51. scribit Vincentium perperam *Sanctum* obtrudi, eò quòd fuerit in partibus Semipelagianorum. Hoc quoque ait Dallæus lib. 2. de usu Patrum cap. 2. *Contrâ hunc librum scripsit Mathæus Serivenerus Anglicanæ sectæ professor, in Apologiâ profanis Ecclesiæ Patribus, qui lib. 2. c. 2. scribit contra Dallæum: Pergamus tamen. Non solum, inquit, delirus Eremita, sed Semipelagianus erat idem Vincentius; quod indubitato affirmatur; quum tamen in medio sit à doctis positum &c. Esto autem, Semipelagianus erat. Non statim in omnibus damnandus, qui in aliquibus fortassis graviter peccaverit.* Hugo Grotius tom. 3. cit. pag. 681. 682. & iterum pag. 727. ubi ait: *Vincentium illum Commonitorii scriptorem, fuisse Semipelagianum dixerunt nuper in Galliâ qui iddicere voluerunt; probaverunt autem minime, nisi ex suo sensu &c.*

Habes hic homines non Catholicos Commonitorium miris encomiis ornantes, ita ut ab illis opus eximium, aureolum, aureum, divinum, nunquam homini Christiano deponendum manibus, honoris gratiâ dicatur. Habes quosdam Calvinianos Vincentio ejusque libro errorem Semipelagianorum objicientes. Habes alios Sectarios ab eâ accusatione Vincentium vindicantes. Itaque varia sunt apud Heterodoxos de Vincentio æquè ac apud Catholicos judicia, uti productis eorundem testimoniis ostendi. Bina hic propositiones notandæ veniunt, quarum una veluti thesis, altera hypothesis rationem habeat. Prior est: Antiquitatem doctrinæ retinendam, fugiendam verò dogmatum in rebus quæ novitatem. Huic uni intento stabiliendo Commonitorium totum, quod extat, nempe liber ejusdem primus impenditur. Quid in libro secundo scripserit, incompertum est; nisi quòd in cap. 42. & 43. nomine recapitulationis quædam indicantur ab ipso Auctore, sive ut alii malunt, à Genadio sensum auctoris imitante. Altera propositio est: Doctrinam S. Augustini de initio fidei ex gratiâ, atque hujus largitionem ex divinâ prædestinatione, quæ hominum merita cuncta præcedat, neque ab istorum præscienciâ dirigatur, novam esse, ac anterioribus Patribus incognitam, inò etiam illorum scriptis adversam, quæ capitalis erat Semipelagianorum contra S. Augustinum objectio. At hac de alterâ assertionem nihil apud Vincentium in Commonitorio legitur. In priori aliâ Catholici omnes conveniunt, quam & S. Augustinus passim suis in libris commendat, eaque veluti omnium acutissimo telo, Donatistas ac Pelagianos transfixit. Legatur lib. 2. de Baptismo cap. 7. lib. 4. cap. 23 lib. 5. cap. 23. ubi ait: *Apostoli autem nihil quidem exinde præceperunt, sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quæ univ-*

*ersa tenet Ecclesiâ, & ob hoc ab Aposto-*

lis præcepta bene creduntur; quanquam scripta non repe-  
riantur. Idem cum in libro primo ac secundo contra  
Julianum ex Patrum doctrinâ Pelagianæ hæreseos  
novitatem demonstrasset, concludit in fine libri se-  
cundi: *Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatori-  
bus, rigatoribus, edificatoribus, pastoribus, nutritori-  
bus crevit. Ideo profanas voces vestrae novitatis expavit  
&c.* Rident autem Catholici scriptores Dallæi Cal-  
viniani hominis objectionem, quam etiam Serivenerus  
cum aliis Heterodoxis exufflat: Vincentius fuit  
in partibus Semipelagianorum, ergo nulla eidem fi-  
des in Commonitorio habenda est. Etenim Augusti-  
nus usque ad initia Episcopatus Semipelagianorum  
errori adhasit, quo tempore plurimos contra Mani-  
chæos libros scripsit, qui libro primo Retractionum  
referentur. Fac ergo quempiam sic argumentari:  
Augustinus cum illos contra Manichæos libros scri-  
psit, in errore Semipelagianorum versabatur, ergo  
nihil aut parum illi tunc scribenti credendum est.  
Nonne is ita argumentans exhibendus esset? Quid  
enim dogmatis Manichæis cum Semipelagianis com-  
mune fuit? Hoc in Commonitorio disertè ac validè  
firmatur: Doctrina antiquitatis in Ecclesiâ tradita, ac  
dein hereditariâ veluti successione per Patres ad po-  
steros transmissa, quibuscumque postea contrariis  
opinionibus inductis præponenda est. Huic dicto  
consentunt Catholici omnes; consentire Semipela-  
giani, uti & consentire fingunt hæretici nostri sæcu-  
li, paucis illi exceptis, qui Patrum traditioni adver-  
santur. Non sunt ergo hæc arma peculiaria Semipela-  
gianorum, sed omnium, qui traditionem venerantur.  
Jam verò si ulterius pergas, dicens sententiam Semi-  
pelagianorum esse antiquitatis à Patribus traditam,  
opinionem verò Augustino excogitatam, omnibus  
anterioribus Ecclesiæ Patribus adversari, propria  
jam Semipelagianorum objecta producis, quibus  
illi S. Augustini doctrinam impetebant, quæve S.  
Doctor insiegit cap. 19. de Dono perseverantiæ.  
At ab hoc altero Vincentius eo in libro, qui su-  
perest, stylum abstinuit.

## A N O N Y M U S.

Quid poterat his hæreticis optatius accidere,  
quàm ut non modò Romanæ Ecclesiæ Pro-  
bibliothecarium, sed cum illo tot Censores A po-  
stolicos adstipulantes haberent adversus odiosissi-  
mum sibi Vincentii Commonitorium? Certè in No-  
risiano libro non solum habent hæretici quò se ad-  
versus Vincentium defendant, sed etiam quò Roma-  
nam Ecclesiam Semipelagianismi accusent: utpotè,  
quæ tum Vincentium inter Sanctos numeret, tum  
ejus librum tanquam egregiè Orthodoxum prædi-  
care non desisterit, ac veluti Catholicæ fidei scu-  
tum Novatoribus omnibus opponere. Pag. 25.

## R E S P O N S I O.

Hic non unum Norisium impetis, sed Censores  
ipso pari accusatione percellis. Rectè Augu-  
stinus Epist. 166. ad Donatistas scribit: *Quomodo  
enim potest malus litigator laudare iudices, quibus judi-  
cantiòs victus est?* Enimverò Norisium potes impu-  
nè lacerare. At non par venia aut impunitas dabitur  
temeritati, qua in doctissimos Censores impotenter  
insurgis; cum præsertim nesciamus quale illi judicium  
tulerint. Equidem vereor, ne exemplum de tuis  
scrupulis illi sumant, quo veterem sententiam discas.  
Periculosum est scribere illum, qui potest proscribere.  
Addis librum Vincentii esse hæreticè odiosissimum;

cum tamen illi appellent eundem *eximium, aureolum,  
aureum, divinum*, quod postremum epitheton à nullo  
hæreticis Scriptore Catholico obtinuit. Quid autem,  
quæso te, in Norisiano libro præsidii habere possunt  
hæretici? Vincentius in eo errore fuit, in quo etiam  
fuerat usque ad initium Episcopatum summus Eccle-  
siæ Doctor Augustinus. Erantne tunc Augustinus  
omni privatus sanctitate? Profectò S. Paulinus Epi-  
stolam 23. inter Augustinianas, inscribit *Domino fra-  
tri sancto & unanimò Augustino*, qui nuper sacras in-  
sulas acceperat, ubi ejusdem in Manichæos opera com-  
mendat. Erantne ejusmodi libri egregiè Orthodoxi, li-  
cèt Auctor Semipelagiano adhuc errore implicaretur?  
Cum eadem toties dicas, ac frustra repetas, cogor  
& ipse eadem pariter cum Lectorum tædio repetere.

## A N O N Y M U S.

Esset quidè facilis ac expedita responsio, non  
plus valere Norisii auctoritatem, quàm quan-  
tum ipsius rationes valent; quæ in eo negotio, de  
quo nunc agitur, prostris nullæ sunt; ut mox vi-  
debimus: & illum & ejus approbatores privatos  
Doctores esse, quorum judicia præstare non teneat-  
ur Ecclesia. Denique Romana tribunalia, imò &  
ipsam Pontificem, tam in approbandis, quàm in  
condemnandis libris sæpè falli. Sic, inquam, res-  
pondere facilè fuerit nostræ Facultatis Doctoribus,  
quibus sufficit, Romanum Pontificem tum infalli-  
bilem esse, cum illius judicio accèdit Episcoporum  
consensus. Sed Romanis ipsis cogitandum relinqui-  
mus, utrum è re ipsorum fuerit, in gratiam Norisii  
ejusmodi objectionem Hæreticis suppeditari, à qua  
Ecclesiam Catholicam non possumus aliter defende-  
re, quàm Romanum judicium refellendo. Pag. 26.

## R E S P O N S I O.

Norisius eas rationes dudum ab aliis adductas  
novis quibusdam observationibus confirmavit.  
Quas tu nullas dicis, celebris Doctor Sorbonæ dixit,  
esse *invictas*. At inquis, hunc Scriptorem allatas à  
Norisio conjecturas adoptasse. Joseph Antelmus  
cum easdem Norisii rationes accuratè perpendisset,  
pag. 420. laudati aliàs voluminis scribit: *Graviores  
clarioreque sum, quàm ut ullius ex aliis non præoccupati  
consensum non eliciant*. Num causaberis, hunc quoque  
Norisii conjecturas adoptasse? Interim unâ & al-  
terâ adoptione ipsæ aliquod probabilitatis pondus  
acceperunt. In iis autem quæ addis, mihi videris ad eo-  
rum castra licèt fingendo, transfugere, qui Romani  
pontificis in condemnandis libris judicium infallibile  
dissententur, quousque totius Ecclesiæ consensus acce-  
dat. At scimus Romanum Pontificem, dum pecu-  
liari Constitutione quempiam librum condemnat,  
non petere, sed planè imperare universæ Ecclesiæ con-  
sensum. Etenim, ut innumera ad hoc demonstra-  
ndum testimonia missa faciam, S. Gelasius Papa in  
Epistolâ 13. ad Dardaniæ Episcopos scribit: *Quòd  
Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more ma-  
jorum, etiam sine ullâ Synodo præcedente, & absolvere-  
di, quos Synodus iniquè damnaverat, & dammandi quos  
oportuit, habuerit potestatem*. Quod cum variis exem-  
plis comprobasset ait: *Quoniam sicut id, quod prima  
Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa  
censuit judicandum, ECCLESIA TOTÀ SUSCEPIT*.  
Videsis insignia ad hoc ipsum dicta Ferrandi Diaconi  
Carthaginensis in priori Dissert. cap. 9. Quæ in grati-  
am Norisii objectio hæreticis tibi dicitur suppeditari,  
jam satis superque confutata est, nec opus est actum  
agere;

agere. Petulantis animi est, in secretiora Quasitorum fidei iudicia irumpere, quæ humili tantum silentio veneremur oportet. Nobis tam curiosos esse non licet; multò minus tibi licuit, ignotam sententiam audaciori stylo perstringere.

A N O N Y M U S.

U T ergo paucis omnia complectar, Norisii liber Romæ approbatus, ansam dat his Lutherorum & Calvinianorum objectionibus. Pag. 26.

R E S P O N S I O.

J Am videris vela ventis haud inflata secundis contrahere, ut myoparonem undique quassatum, ac rimas facientem, in portum, cui ab Harpocrate nomen indidere, subducas. Cassiani phrasis est in præfatione librorum de Incarnatione: *Post illum proditiæ inscitia pudorem, in portu se silentii collocare.* Non quidem, ut ais, approbatio, sed peracta quæcumque illa fuit, ignota nobis Norisiani libri censura, nec hæc tæntis secuta illius condemnatio, nullas hæreticorum objectionibus ansas dat, sed te adeò anxium reddidit, ut tuos scrupulos *tanquam ansas ad reprehendum*, ut ait Cicero in Lælio, compingeres. More Oratorum in exitu opellæ scrupulosæ, uteris peroratione, ac per tua vestigia, eadem recitando, recurris. Etenim quæ antè tumet objeceras, quò Romanis auribus horrorem aut saltem suspicionem injicias, ipsissima fingis Lutheranos ac Calvinianos objicere.

Et primò quidem ais ab hæreticis objici, Catholicos superiori sæculo armis potissimum Semipelagianis, nempe Vincentii Commonitorio in gratiam Semipelagianismi fabricato, Reformationem impugnasse. Jam didicisti quanto in prævio sit apud Lutheranos Commonitorium Vincentii. Fridericus Ulricus Calixtus in Dissert. de Auctoritate Antiquit. Ecclesiasticæ, pag. 111. scribit: *Sunt anni XXV. quum Commonitorium illud Parens ederet, & Pontificis facto agmine in has provincias tunc irruerentibus, opponeret. Solent enim illi obiectare, quod Protestantibus &c. Adreundendam itaque hanc sive suspicionem sive calumniam, edidit Parens Commonitorium Vincentii &c.* Contendit juxta dicta Vincentii, ex traditione Lutherana dogmata stabilire: quorum tamen insaufustos natales elapso sæculo Orbis Christianus deploravit. Soli hæretici qui Traditioni oblectantur, Vincentii Commonitorium, ut proximè prædixi, rejiciunt. Reliquæ quatuor objectiones, quas Hæretici tuo ore ibidem proponunt, jam superius confutatae sunt. Eas iterum alieno ore te fingis recantare, ut in fine scrupulorum, in Lectorum animis earundem aculeos altiùs infixos relinquis. At omnia quæ hic iterum colligis, jam latius dispersa, dissipata, ac in fumum redacta evanuerunt, ut nihil novi insuper adjicias, quod existendum superfit.

S. V.

Effugium præcluditur.

E Rras, ac inani opinione deciperis, si Norisium tuis hisce scrupulis impulsus, fugâ sibi consulturum putas. Nam tuorum scrupulorum acies (ut grandiloquus meam quoque operam jactem) interneccione deleta est, ut ne unus quidem communi stragi subduci poterit, ita ut si fortassè scrupulosum bellum restaurare mediteris, novorum planè scrupulorum conscriptio tibi faciendâ sit. Hæc tantula de tantillis victoria in jacturæ loco mihi reponitur, qui bonas horas scrupulis evellendis impenderim: quo uno scrupu-

lo cæteris tuis longè molestiore perstringor. Interim videamus, quam arte effugia cuncta præcluseris.

A N O N Y M U S.

M Irum non erit, si Norisius postquam talia in sanctissimos Ecclesiæ Patres conjecit, paulò duriùs non excipiat, rursus fortè suum illud ingerens: *Legat Anonymus &c. & scrupulos ac supinam qua laborat, rerum istarum ignorantiam deponat.* Sed interim dum sciam ad quos legendos me remissurus sit, duo sunt quæ illum moneam. Pag. 28.

R E S P O N S I O.

E Quidem mihi gratias ages, saltem debebis, qui cum te Doctorem Sorbonicum fingas, à me haud in longinqua mittaris. Nam temet amicâ manu domo eductum, ad Bibliopolas Parisienses viâ compendiarîâ deduco, ut insignium Auctorum volumina tibi ad hanc usque diem aut incognita, aut nequaquam lecta, ostendam; quæ mea quoque erit peroratio, sive ut in causis forensibus fit, testium repetitio. En tibi tomus primus Academiae Theologicae Scoti, auctore Claudio Frassen Doct. Sorbonico, editus Parisiis apud Edmundum Couterot anno 1672. In hoc autem volumine pag. 421. & 422. dicitur Vincentius Lirinensis detorsisse Epistolam S. Cælestini Papæ in favorem Semipelagianorum. Verba hujus Theologi tibi recitavi pag. 157. Gradum faciamus. Hic tomus Dissertationum in Synodos auctorem habet Ludovicum Thomassinum, eruditissimum Theologum. Editus est hic quoque liber Parisiis anno 1667. sumptibus Societatis typographicæ. Enimverò pag. 460. legitur Hilarium Arelatensem, Vincentium, Cassianum, Faustum &c. erronæ Semipelagianorum opinioni ad hæsisse, nec errorem ejurasse, sed omnes sectatores Catholicos fuisse ad Synodum usque Arausicanam. Pergamus aliò. Tot prægrandia volumina sunt Opera S. Augustini, nuper à Patribus Benedictinis Monasterii Parisiensis S. Germani à Pratis meliori ordine digesta, ex optimis codicibus correctæ, ac eruditè etiam notis illustrata, typis Parisiensibus Francisci Muguet impressa. Jam superius pag. 158. monstravi in appendice Tomi X. editi anno 1690. ad pag. 132. affirmari Vincentium Epistolam S. Cælestini contra Prosperum retorsisse, ac proinde haud injuriâ videri Semipelagianis favisse.

Scis viam hanc vulgò *la rue de Saint Jacques*, Bibliopolarum officinis ornatam esse. Hanc sub signo Ciconiarum, quæso, ingrediamur, in quâ impressi à Cramoyis libri venduntur. Viden quinque illos grandiores tomos Theologiæ dogmaticæ auctore Dionysio Petavio, Viro eruditissimo? Quid in tomo tertio pag. 622. de Episcopis Semipelagianis in provinciis Lugdunensi ac Arelatenfi scribat, dudum tibi pag. 160. indicavi. Ex hac quoque typographiâ anno 1673. prodit insigne volumen Martii Mercatoris cum Dissertationibus Joannis Garnerii, qui pag. 150. tradit ex Commonitorio Vincentii colligi Lirinenses Semipelagianorum opinionibus adhæsisse. Hoc quod aperio, justæ molis volumen editum anno 1655. continet historiam planè tragicam de Gottschalcho scriptam à Rev. P. Ludovico Cellotio. Da aures, dum quosdam versus ex lib. 1. cap. 4. pag. 99. tibi recito; siquidem ibidem tecum planè loqui videtur, ut temet tuis hisce scrupulis liberet: *Tu, inquit, doctrinæ pravitate mores vis insci, quasi tum, & antea nemo bene potuerit vivere, qui malè sentiret: quod ego de Semipelagianis pernego, quorum sanctitatem vitæ ipsi doctrinæ hostes*

hostes agnoscunt, & laudant. Optime dicta, inquit, quia ignorantia invincibilis eisdem omni culpâ immunes reddidit. Ne, quæso iterum, libri lectionem interpellas hac, quæ toties tibi in buccam venit, ignorantia invincibili; sed integram elegantis Scriptoris sententiam ausculta; siquidem ita prosequitur: *Invenies peculiare illud Semipelagiano errori fuisse, nullum ut habuerit hæreticum professorem; cum qui sunt illum professi, ante condemnationem Christiano Orbe publicatam, & admissam vixerint, qui autem postea vixerunt, illum repudiarunt.* Intellexisti, Amice, quid dicat? Semipelagianos ab omni hæreseos culpâ excusat, non ob ignorantiam invincibilem, ut imaginariis, ac muginariis, sed quia antè publicatam post Synodum Arausicanam ejus erroris condemnationem vivere, quæ est ipsissima Norisii sententia.

Diverſamus ad librariam officinam sub signo Coronæ aureæ, quæ est juris Antonii Delazier insignis Typographi. Hic anno 1689. excusus fuit liber de veris operibus sanctorum Leonis Magni & Prosperi Aquitani scriptus à Josepho Antelmio Canonico Forojulienſi. Quid de doctrinâ Commonitorii Norisio conformiter idem scribat, jam supra pag. 172. & 175. inaudivisti. Paucos modò versus ex Dissert. 3. num. 9. pag. 127. patienter ausculta: *Faustus, inquit, Valerianus alique valentissimi MASSILIENSIVM ASSECLÆ DEFENSORESQUE dignitate aucti, & ex spectabilibus Monachis Abbates, moxque ex Abbatibus PRÆSULES &c.* Sat est. Volumen claudio, ne ulteriori lectione oculi tibi forsitan doleant. Quæ hic pariter longo ordine disposita volumina intueris, historiam Ecclesiasticam per sæcula deductam continent, auctore Sorbonico Magistro, quem cum factis Norisii de Commonitorio conjecturas adoptasse, non est cur tibi jam nota, iterum superflua repetitione inculcem. Quæ illic visitur sub signo Occasionis apotheca libraria, ibi Andreas Pralardus libros abs se impressos pretio distrahit, quos inter quidam scripti sunt à Doctore ac professore Sorbonico, qui tum de Commonitorio memorato, tum de Episcopis Semipelagianis in provinciâ Viennensi ac itidem Narbonensi Norisio similiter sentit. Præterea ex typographiâ Joannis Baptistæ Coignard prodiit volumen, in quo dicitur Vincentius laudatam Cælestini Papæ Epistolam contrâ ipsum Prosperum produxisse. Ad neutram te officinam librariam in præsentia conducam, ne multiplici voluminum lectione molestior tibi sim, quem video ex præscripto Senecæ in Epist. 2. ad Lucilium à multorum auctorum libris legendis abhorrere. Interim videsis quantâ tecum comitate agam. Dicebas: *Dum sciam ad quos legendos me remisurus sit.* Haud equidem te ultra Pyrenem ad Hispaniæ Bibliothecas perlustrandas misi. Non ad plurimos per utranque Germaniam librariorum ablegavi. Non trans alpes ad Italiæ Bibliothecas consulendas abire jussi; quod si fecissem, te ad unum V. C. Antonium Magliabechium Bibliothecarium negotiaris Florentiam destinasset, qui illicò tibi memoriter recitasset nomina, cognomina, patriam, ætatem Scriptorum, eorumque libros, paginas, ipso versus, in quibus sive de doctrinâ Auctoris Commonitorii, sive de Episcopis in Galliâ Semipelagianis mentio habetur. Verùm haud opus est ad longinqua peregrinari, cum apud Bibliopolas Parisienses tot modò tibi libros & hos omnes typis Parisiensibus impressos ostenderim, in quibus palam tuismet oculis vidisti, quid præclari in Galliâ Scriptores hisce de rebus proximis annis prouintiauerint. Horum pars est superstes, qui abs

te rogati, omnes ad unum tibi scrupulos possunt evellere. Da gloriam veritati. Tunc es Magister in Sorbonâ, & hæc ignoras? O quàm procul à Sorbonâ hætenus habitasti! Cujus es? Ubinam gentium vivis? Cur ergo ægrè ac molestè fers Norisium, cum primum ab illusterrimo viro priorem tuorum scrupulorum partem sibi ostensam vidisset, in albâ priori paginâ hæc statim suamet manu exarasse: *Legat Anonymus &c. & scrupulos ac supinam qua laborat, rerum istarum ignorantiam deponat.* Quæ ille privatim scripsit, haud te puduit editis paginulis publicare? Atenim credo te jam intelligere, num idem rectè de tuis in causâ Monachorum Scythiæ scrupulis judicaveris & an pari censurâ castigandus sis, dum in tot voluminibus ab eruditis Lutetiæ Parisiorum excusis, hospes prorsus ac peregrinus appares. Præsertim in titulo *Effugium præcluditur.* Cum Norisius tot undique Gallicanis Scripturibus veluti fœderatis utroque latere muniatur, haud potis es eundem tuis hisce scrupulis loco pellerè, ac in fugam conjicere. Cum verò tot contraneis testibus ac Sociis etiam Sorbonicis convictus sis: *Quid te futurum est? quò confugies? ubi vivere?* His Ciceronis verbis in Verrinâ IV. addo Poetarum maximi carmen *At non hoc telum mea quod vi dextera versat, Effugies.* Aeneid. IX.

## A N O N Y M U S.

**D**UO sunt quæ illum moneam, quia breviorum utriusque nostrum laborem redditura sunt. Primum est nihil esse causæ contrâ me patrocinatorum, qui dixerint, aut Vincentium Lirinensem, aut Gallicanos illos Antistites Semipelagianismum propugnasse, & eisdem tamen verè sanctos fuisse. Nihil istud, inquam, pro Norisio; nisi cum illo adjecerint, quod diserte ipse asserit, Semipelagianos non ex voluntariâ ignorantia errasse, qua excusari possent, sed merâ obstinatione oculos veritati clausisse; tum quod apertè supponit, eos nullum mutata sententiæ signum edidisse. Quisquis iis, de quibus loquimur, aut ignorantiam invincibilem, aut respicientiam tribuit: quisquis alterutram saltem supponit, is hoc ipso fati à Norisio se discernit, quia defendendæ adversus hæreticos illorum & Ecclesiæ sanctitati aditum relinquit. Pag. 28.

## R E S P O N S I O.

**E**Adem repetis, ac frustra repetis, quia ignorabas Auctores Norisio patrocinatorum, ad quos cognoscendos, te proximè conduxit. Ulliusne culpa lethalis reus tibi met videris ob hanc ignorantiam? excute scrupulos, ac tuammet conscientiam scrutare. Nullus dubito, quin conscientia dictatura tibi sit, nullam te inde noxam lethalem contraxisse, quia quamvis commodè posses, apud Parisienses Bibliopolas libros consulere, nullâ tamen Ecclesiæ lege obligaberis scire quæ in illis voluminibus de laudatis Episcopis aut de Vincentio legebantur. Itaque quamvis tua ignorantia fuit vincibilis, nullius te criminis sanctimoniam excludentis, reum fecit, quia ignorantia fuit eorum, quæ nullâ lege scire tenebaris. Est enim canon Theologicus à S. Thoma hisce verbis expressus in 1. 2. quæst. 76. art. 2. *Ignorantia autem vincibilis est peccatum, si sit eorum, quæ aliquis scire tenetur, non autem si sit eorum, quæ quis scire non tenetur.* Haud secus Gallicani illi Patres ignorarunt quod nondum ullâ Ecclesiæ lege scire, ac credere jubebantur. Clauserunt oculos veritati ab Augustino indicatæ, nondum tamen ab Ecclesiâ asseratæ. Sirmondus, Raynaudus, Labbeus, Cellotius insignes è Socie-

tate

tate Scriptores; aliique superius laudati, nec ab ignorantia invincibili, nec à securà tandem respicientià, illorum sanctitatè excusatam, aut servatam dixere; sed quia, ut inquit magnus auctor Suarez Prolegom. V. de Gratià cap. 5. num. 6. *nondum erat illa sententia hæresis vel erroris damnata ab Ecclesià; ut Prosper in fine libri contra Collatorem aperit docet, Cassianumque inter Catholicos numerat.* Si vis intelligere: Ignorantia ejus, quod scire nullà lege divinà aut Ecclesiasticà obligamur, sive sit invincibilis, sive vincibilis, quod peccatum attinet, perinde est. Quæ verissima sententia omnes tibi scrupulos, modò sapere velis, exculpit.

## A N O N Y M U S.

„ **A**lterum est, ne quidè si multos inveniret, qui prorsus eadem cum ipso docerent, aliquid contra nos effecturum esse, nisi simul ostendat falsò concludi, quæ ex ipso contra Ecclesiam inferri ostendimus. Quandiu hoc non probaverit, nihil ad rem pertinet, quòd alios sibi consentientes habeat: præsertim si non hos Norisius, sed hi Norisium secuti sunt, ut fecit Natalis Alexander, qui illius contra Vincentium Lirinensem conjecturas adoptavit. P. 30.

## R E S P O N S I O.

**I**N unà Parisiorum urbe tu ipse, me præmonstrante, legisti plurium Auctorum impressa ibidem volumina, in quibus Norisii sententia confirmatur, cum tu unicum tantum nosceres P. Natalem Alexandrum, qui nuper decem tomos de Theologia Dogmatica ac Morali edidit. Opus sanè sacrè eruditione refertum, methodi perspicuitate nitidum, ac doctrinæ soliditate spectandum: cujus etiam exemplaria Norisio donanda Auctor munificus Romam transmisit, pro quo eruditissimo munere hac ipsa, quam illum nominans præbuiti, occasione, Norisii vice gratias ago, cum par tantæ beneficentiæ non possim referre. Putasne tibi pariter gratias relatuos Calvinianos pro argumento, quo ex sententià Norisii contra Ecclesiam inferri grandè absurdum, eosdem docuisti? At tuus ille syllogismus tam malè materiatus levi meæ impulsu, laxatâ quaquaversum propositionum compage, ac factâ ruinâ, dissiluit. Norisius unus est inter plures; nec primus, nec postremus eam sententiam tenuit. Sex eorumdem scribunt, Vincentium Lirinensem S. Cœlestini Epistolam finistrâ interpretatione contra S. Augustini discipulos detorsisse. Hic sanè nulli usui venire potest tuum illud ignorantia invincibilis emplastrum, quod admoves, ne sanctitas pereat, quæ sanè neque exinde perit, uti jam dixi.

## A N O N Y M U S.

„ **J**am verò hinc apparet quo fructu dilata olim censura, vel correctio Norisiani libri fuerit, & quid ex ejus approbatione porro expectandū sit &c. P. 30.

## R E S P O N S I O.

**C**um nescias, quid hisce de rebus prodant tot volumina apud Bibliopolas publicè prostantia, ac dudum apud eruditos pervulgata, haud miror te nescire, quid Romæ in arcano Sacra Congregationis Inquisitionis universalis actum sit. Dilatam dicis Norisiani libri censuram? Erras. Nam semel, iterum, ac tertio ejus libri examen peractum est. Primò quidem anno 1672. cum Norisius tum Romæ degens, idem volumen Sacra Congregationi supremæ Inquisitionis examinandum obtulit. Editionis facultate concessâ, anno proximo liber de Hist. Pelag. Patavii excusus, in lucem prodit. At post biennium apud Romanum S. Inquisitionis tribunal idem liber accusatus fuit, Norisio interim haud ansato sedente. Quid actum fuerit, nescio. Hoc scio nullo stigmate notatum, & ab omni

censurâ immunem, liberè literarium Orbem pervagatum fuisse, siquidè adversariorum accusatio, ac proximum discrimen eidem famam addiderant. Induciæ in annum usque decimum sextum mansere; cum repente improvisum contra miserum librum bellum erupit: cujus occasione libri Auctor auctus honore; cum Sanctissimus D. N. INNOCENTIUS XII. Henricum Norisium Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum designavit. Ita dum Scriptor adeò honorificè in splendidissimam, ac maximam totius Orbis MSS. voluminum regiam inducitur, ejusdem volumen ad tribunal trahitur. Exitum hujusce tertie censuræ, aliàs nobis ignotum, te narrante, intelligimus. Nam in priori statim paginâ partis secundæ, cum prior pars decem paginulis expleatur, scribis: *Scimus novos Censores designatos esse, ac sententiâ continuò dixisse, quæ dudum accusatus is liber, ne apice quidem sublato, approbatur, imò summis laudibus extollitur.* Si horum, quæ secretiora sunt, verax tellis, aut ut opinor, audax ariolus venis, num tibi censura libri dilata videtur, quæ sine exemplo, jam tertio in tremendo illo Tribunali peracta fuit? Quid ulterius moliris, acerbissimam rursus accusationem scrupulorū nomine instituens? Tantane sacri ac profani juris oblivione interciperis, ut causam jam triplici judicio discussam, iterum ad iudices deferas, novumque examen efflagites? Præclaram tibi repono S. Augustini sententiam lib. 2. Oper. Imp. con. Jul. n. 103. *Quid adhuc quaeris examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem?*

## A N O N Y M U S.

„ **S**i quos habet socios, valebit hoc, si lubet, ut Norisio propter istos, vel ut istis propter Norisium ignosci debeat, quod me non repugnante fiet: haud tamen impediet, ne hæc Norisiani libri doctrina gravem Ecclesiæ plagam inferat; multò magis gravissimam Romana ejusdem approbatio. Pag. 30.

## R E S P O N S I O.

**S**i quos, inquis, habet socios? imò quales ac quantos habeat socios, proximè didicisti. Tot ille habet socios, ut potis sit, bellum sociale & fortiter sustinere, & feliciter profligare. Sociale, inquam, cum sociis, ac pro sociis, quibuscum habet causam communem. Nec Norisio propter socios ignoscendum est; nec sociis in gratiam Norisii ullius culpæ gratia facienda. Quod scribis, *te non repugnante fiet.* At id, velis, nolis, jam factum est. At si judicio, uti dicis, jam peracto non repugnās, cur illud tot scrupulis impugnas? Nam absolutoriam sententiam impetis, quæ liber censuræ quidè discrimine, ac non æquè invidiâ liberatus est, quam illi maximam conflare conaris, dum gravissimam Ecclesiæ plagam Norisiani libri doctrinâ, ac ejusdem lectione nequaquam vetitâ, inferendam, tristi augurio denuntias. Unde nam tam dirum ac funestum omen coniecisti? an quia, ut ait Plautus in Asinaria II. 1. *Cornix est ablava; carvus verò ab dextera?* Christianus Lupus Augustinianus, regius professor in Academia Lovanensi, ac tot eruditissimis voluminibus de re Ecclesiasticâ benè meritus, eo quo Norisius anno 1672. eadem omninò tradidit de Vincentio Lirinensi ejusque Commonitorio tom. 4. notar. in Synodos à pag. 757. ubi tamen rigidiori stylo idem iudicium prosequitur. Quam plagam duorum ac viginis annorum spatio Lupi volumen Ecclesiæ intulit? Quis Heterodoxus inde contra Ecclesiam tela deprompsit? Eodem A. 1673. Joannes Garnerius Jesuita, quo neminem eruditorem, Petavio ac Sirmondo defunctis, id temporis Societas in Galliâ habuit, docuit ex Commonitorio Vincentii patere Monachos Lirinenses Semipelagianò errore infectos fuisse. Quæ par te vir doctissimus plagam Ecclesiæ intulit? Nescio quo fato factum sit, ut res Scriptores in diversis Europæ provinciis libris eodem anno

evulgantes in eandem de Commonitorio Vincenzii sententiam conspirarint. Si tibi fides habeatur, triplicem eo anno plagam Ecclesia accepit. At scimus Ecclesiam quatuor Iustorum spatium nihil severius contra illum illorum Auctorum volumina statuisse. Nullam ergo ab illis sese plagam accepisse pensavit. Quid Patres Benedictini Parisienses ad D. Germani à Pratis tom. X. oper. S. Augustini, pag. 132. de Auctore Commonitorii scripserint, semel & iterum intellexisti. Nullam tamen inde sibi plagam inflatam Ecclesia existimat. Nullus autem dubito, quin hæc plagas in plagis imaginarii cuiuspiam spatii adnotaveris.

## A N O N Y M U S.

SANE quidem, si de Norisii solam aut alterius cuiuscumque privati Scriptoris auctoritate hic ageretur, quam facile est ipsius ratiunculas diluere, tam facile foret petitem ab illius exemplo argumentum elevare. At verò post ejus librum Romæ authenticè et approbatum eadem auctoritate, qua de cæteris libris illic statuitur; quotquot sunt qui huic auctoritati refragari nefas putant, non video qua ratione hæreticis responsuri sint objicientibus Catholicis Ecclesiam plurimos hæc tenus aris imposuisse, quos tali honore indignos Roma ipsa hodie fateri necesse habeat. Pag. 31.

## R E S P O N S I O.

QUAMVIS omnis hic scrupulus toties tibi evulsus fuit, supremam eidem radicem extirpando, manum iterum admovebo. David Blondellus Catalaunensis, Calvinianæ sectæ Minister, in tractatu historico de Primatu in Ecclesiâ, Gallicè scripto, pag. 52. edit. 1641. sect. 6. de Apostolica Romanâ Sede scribens, ait: *Ut nobis obtrudatur iudicium ejus tanquam regula fidei, eique suprema auctoritas deferatur, adducitur testimonium Vincentii Monachi Lirinensis, quem nobis præterdunt tanquam Sanctum exhibere; quamquam illemeret debeat eò magis haberi abominabilis, quod ausus est sese conijcere in partem Semipelagianorum.* Catholicum Vincentium & Hilarium Arelatensem Antistitem uti Sanctos venerantur, & cæteros S. Augustini in Galliâ adversarios *eximia sanctitatis viros* appellat Gabriel Vasquez p. p. disp. 86. initio capitis sexti. Utrum Vincentius reapse Semipelagianus accesserit, varia sunt inter Catholicos æquæ ac inter Heterodoxos judicia, uti ostendimus. At Hilarium Arelatensem inter Semipelagianos fuisse, affirmante Prospero, jam eruditi vulgò testantur. Enimverò Catholicis, quod sanctitatem cum errore Semipelagiano componant, non unam viam ineunt. Etenim Sirmondus, Raynaudus, Suarez, Labbeus, Thomassinus, Antelmius, Cellotius, aliique reponunt, ut jam prænotavi, nondum errorem Semipelagianorum damnatum fuisse ab Ecclesiâ, sed anno demum 530. à Bonifacio II. Romano Pontifice. Nonnulli autè obitum respiciunt, ac ab errore discessisse eosdem putant. Ita sentiunt Card. Baronius, Sammarthani, Florentinius &c. Tu ab ignorantia invincibili excusationem accersis. Ecclesia jubet Hilarium ac Vincentium uti sanctos coli, quemadmodum colit etiam jubet Cyprianum omnes hæreticos rebaptizantem. At neutiquam jubet, ut unâ, non autem alterâ ratione eorundem sanctitas defendatur. Docet Ecclesia Deum habere liberam voluntatem, ac Spiritum sanctum non esse genitum. Verum modum exponendi indifferentiam divinæ voluntatis, aut rationem qua processio Spiritus sancti non sit generatio, non desinit, unde scholastici diversis sanè rationibus utrumque mysterium exponere conantur. Norisius in sal-

vandâ Patrum Gallicanorum sanctitate sectatus est priorem sententiam, quæ non tantum ceteris, sed planè est apud Scriptores testata ac pervulgata. At inquis, Norisium negasse ignorantiam Semipelagianorum fuisse invincibilem, quâ solâ excusari possunt à crimine. Jam toties dictum est, ignorantiam invincibilem perinde esse ac vincibilem, quod culpam attinet, si sit ejus, quod ignorans nullâ lege credere tenetur. Hæc scribit Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 17. art. 2. ad. 3. *Sic ergo aliqui Doctores videntur dissensisse vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, utrum sic vel aliter teneantur; vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata.* Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesie determinata, si quis tali ordinatiioni pertinaciter repugnaret, hæreticus censetur. *Quæ quidem auctoritas principaliter residet in summo Pontifice.* Quare cum constet errorem Semipelagianorum A. demum 530. ab Apostolica Sede damnatum fuisse, nullius hæc rei censeri possunt Hilarius, Vincentius, aliique Galliæ Patres, qui antè annos centum in ea opinione fuerunt. Hac planè prævalidâ ratione Blondelli accusatio refutatur, unâque tui etiam scrupuli radicibus evelluntur.

## A N O N Y M U S.

HÆC sunt videlicet quæ nobis scrupulum moverunt. Occurratur hæreticorum calumniæ, avertatur fidelium scandalum, & nobis satisfactum profitebimur, qui hoc unum querimus, non ut aliquid durius in Norisium, ejusque librum statuat, sed ne ob unius hominis gratiam tot Sanctorum, imò ipsius Ecclesie fama illinc damnum ferat, ubi potissimum de illâ curari debuit. Pag. 31.

## R E S P O N S I O.

TUIS vestigiis insistam. Scrupulos, qui te moverunt, procul amovi, ne quempiam deinceps commoveant. Occursum est Blondelli aliorumque hæreticorum calumniæ, cui validiores tui syllogismi nervos addidisti, quos omnes incidi. Cum primum silueris, fidelium scandalum avertetur. Scandalum est, clancularios libellos clandestinis typis sine Superiorum permissu procedere. Scandalum est, Epistolas de rebus Theologicis Italico sermone scellulariis, textoribus, cuilibet de plebe legere scienti, legendas evulgare. Scandalum est, iudicium, quodcumque fuerit, Supremæ Romanæ Inquisitionis non acquiescere. Scandalum est, ipsos Censores temerariâ censurâ perstringi. Haud ausim profiteri me tibi satisfecisse, qui contra veni Norisii advocatus, cum tibi neque supremi Orthodoxi Orbis, in Urbe iudices satisfecerint. Malo litigatori nullus planè iudex facit satis. Denique concludis: *Unum querimus, non ut aliquid durius in Norisium ejusque librum statuatur.* Non possum non exclamare cum Tertulliano cap. 2. Apologetici. *O sententiam necessitate confusam! Parcit, & sedit; dissimulat, & animadvertit.* Ante sex circiter ejusdem pagellæ verius, contestabar approbato semel libro Norisii, nullam superesse rationem, qua hæreticis respondeatur objicientibus, Romam hodie adstringi, ad deneandum Divorum cultum illis, quos hæc tenus aris imposuerat. At Sanctior, veneratio facta recta servanda est; ac proinde liber eidem perniciosus non tantum infami signato notandus est, verum etiam ultricibus flammis absumendus. At statim asseris, haud te postulare, quidpiam durius in Norisii librum statui. Ecce quartum contra eundem iudicium postulas? Quò colimat post ejusdem examen peractum, inimica tot scrupulorum constructio? Altori loco fama Divorum ac Ecclesie residet, quam ut ex permissâ illius libri lectione augeri possit, aut minui